4

SACRARVM HEROIDVM LIBRI TRES:

IN QVIBVS PRAETER ALIA plurima, quæ ad intelligendas Veteris & Noui Testamenti historias, & pietatis incrementum conferunt; studiosæ iuuentuti vtilia, scituq; dignissima continentur.

AVTORE

ANDREA ALENO EBVRONE.

Adiectus est in fine Epistolarum Index.



LOVANII,

Apud Rutgerum Velpium Bibliopolam Iuratum, Sub Castro Angelico. Anno 1574.

CVM GRATIA ET PRIVILEGIO.

Subsig. I. de la Torre.

Sū Ioh. Georgij à Werdenstein, 1574.

NOBILI ET GENE-
ROSÆ DOMINÆ, D. CATHA-
RINÆ DE BRANDENBVRGO,
Dominæ à Iauchea, ab Aſcha, &c.
Andreas Alenus, S. D.

DVBITAVIT Plato, generoſa Domina, vtro in genere animantium ponenda ſit mulier, ratione præditorum, an brutorum. Quod quidem tanti Philoſophi de hoc ſexu iudicium vt nunquam probaui, ità ſæpè miratus ſum, quæ illi dubitandi cauſa fuerit. Eſto, ſit hic ſexus virili leuior infirmiorq́;. Multis tamen dotibus præditus eſt, quæ deſiderantur in viris, aut certè rariores ſunt: vt ſunt, pudicitia, pietas, religio, fides coniugalis. Quis cautam Penelopes caſtitatem non miretur? Quis animoſam fortemq́ue Lucretiæ caſtitatem non prædicet? Quis Cammæ (cuius multas enumerat virtutes Plutarchus) in vlciſcenda mariti nece fidem fortitudinemq́; non admiretur? cui mors, audita Sinoridis morte, dulcis fuit. Quanta fide dilexerit Alceſtis Admetum, Euadne Capaneum, Laodamia Proteſilaum; Artemiſia Manſolum, Hypſicratia

 Mithri-

Mithridatem, Porcia M. Brutum, Sulpitia Lentulum (vt innumeras alias taceam) probè nouit, quiſquis Poëtas, Hiſtoricoſque perlegit. Mulieres fatidicas, Poëtrias, Philoſophiæ ſtudio, alijſq; dotibus claras, perlongum foret recenſere. Maiore dignæ ſunt admiratione, quæ inuictis animi viribus grauiſsima pertulerũt tormẽta pro Chriſti fide, vt Chriſto ſponſo ſuo permanerent fideles. Quandoquidem nullis tormẽtis, nulliſque promiſſis huc adduci potuerunt, vt fidem Chriſto datam, violarent. Harum tanta eſt multitudo, vt numero comprehendi non poſsit. Nec minor eſt earum, quæ ſeruata corporis animique caſtitate, & abdicatis bonis omnibus, auſteram duxêre vitã, nocte dieque ſeruientes DEO, apud quem non eſt ſexus diſtinctio. Nil moror conuicia, quibus hũc ſexum proſcindunt Euripides, Simonides, pluresque alij: qui niſi ducti fuiſſent affectibus, moderatius modeſtiuſq; de eo ſenſiſſent. Cur omnium fit culpa, paucarum ſcelus? Equidem non paucas noui matronas, quarum virtutes multis nominibus ſuſpexi, nec illas dubitaui cum grauibus comparare viris. Quapropter aſſentior Plutarcho, Thucydidis explodenti ſententiam: Hic enim optimam eſſe cẽſet, de cuius laude aut vituperatione, quàm minimus

nimus apud exteros haberetur ſermo: vt qui exiſtimarit probæ mulieris nomen, perinde atque corpus domeſticis parietibus contineri oportere. Probabilius (eodem Plutarcho autore) putat Gorgias Leontinus, mulieris non formam, ſed egregium nomen atque famam, debere apud quamplurimos eſſe vulgatam. Cùm igitur multarum Heroidum me cepiſſet admiratio, inceſsit mihi cupiditas exercendi ſtylum ſcribendis illarum Epiſtolis. Quæ ſi Ouidianis minus excultæ ſunt, certè caſtiores ſunt, magiſq́ue ad pietatem faciunt. Temperauimus ſtylũ, ne cui prolixitas odioſa foret. Rarus eſt apparatus, qui omnium palato faciat ſatis. Nobis ſanè illud inprimis ſtudio fuit, vt Lectoris aures, animumq́ue, iuxtà paſceremus. Si ferculorum varietas oblectat palatum, hic maxima eſt varietas argumentorum, quæ (vti ſpero) candido pioq́ue Lectori non poterit non oblectamentum adferre. Cæterùm pietas tua, temperantia, vitæ cõtinentia, tuaq́ue in me benignitas potiſsimũ incitârũt me ad hũc laborẽ tibi dicandũ: quæ quidem virtutes (vt alias nõ commemorẽ) te tot ditionibus, tãtoq́ue Fortunæ ſplendore dignã præſtiterunt. Credidiſti mihi filios tuos artibus, quibus decet, inſtituendos. Eos igitur paterno ſemper amore dilexi, omnẽq́ue moui

 lapidem,

lapidem, vt fundamento Grammatices fideliter iacto, aliquando superstruatur Philosophia, Iurisprudentia, cæteræque artes liberales: vt his instructi, præclari euadant Heroës, maioribusque suis (quo tibi nihil exoptatius foret) aliquando præluceant. Huc non desistam anniti pro mea virili, donec mihi credita erit illorum institutio. Quapropter generositatem tuam obnixè oratam velim, vt has elucubrationes meas æqui bonique consulas. Vale. Bruxellæ, Anno reparatæ salutis humanæ 1573. Calendis Augusti.

M. IOANNES LVENIVS TVNGRENSIS candido Lectori.

QVid sanctæ scribant Heroides, optime Lector,
Hos lege tres libros, si tibi scire libet.
Nil spurci inuenies, quod castis moribus obsit,
Nil sanctæ fidei quod nocuisse queat.
Omnia sumpta sacris ex libris, omnia casta,
Atque piæ vitæ sunt documenta tibi.
Si iuuêre poëtarum sine pondere nugæ,
Delectent animum postmodo sacratuum.
Quod pariter prosit tibi, delectetque legentem,
Inuenies, votis & potiere tuis.
Morosus Lector quædam fortasse notabit,
Qui tamen est æquus, cuncta probare potest.

HEN-

HENRICVS ALENVS HERCIVS CANDIDO Lectori.

QVi simul exiguo sumptu, exiguoque labore,
Tempore & exiguo discere multa cupis,
Heroinarum doctasque, piasque tabellas,
Ex sacris haustas non sine laude libris.
Historias varias, præcepta salubria vitæ,
Quam vigili studio sit retinenda fides:
Aonidum suaues numerosque, modosque sonoros,
Denique quod mores composuisse queat:
Huc ades; hic dabitur votorum summa tuorum;
Continet exiguus commoda tanta liber.
Hic tibi monstrat iter sacras Heliconis ad vndas,
Certè non alia tutius ire potes.
Non hic offendent loca sentibus aspera duris.
Non teneros lædent horrida saxa pedes.
Gratia si tantis meritis respondet, Aleno,
Qui dedit hæc, grates officiosus age.

CHRONOGRAPHICVM EODEM AVTORE.

INter BeLLonæ gIgnor fera beLLa CrVentæ,
NIL MIrI, IoVe sIC PaLLas & orta fVIt.

εἰς τὸν ἀναγνώστην.

Λῇς ἀναγινώσκειν Ἡρωΐδας ὤγαθὲ σεμνάς;
Ἀσφαλέως παλάμαις τάσδὲ δέδεξο τεαῖς.
οὐχ ὧδ' εὑρήσεις θυμοφθόρου ἄσματ' ἔρωτος,
οἷάτε τὴν ἀκοὴν τέρπεμεν, οὐδὲ φρένας.
οὐδὲ διδάσκουσίν τι ἀλιτρὸν, δυσσεβὲς οὐδὲν,
μηδὲν τῇ χριστοῦ πίστει ἀπεχθὲς ἔνι.
ἀλλὰ χριστοσεβοῦς πέλει ἄξια πάντα τὰ ὧδε,
ἡδέα τοῖς ὠσὶν, σύμφορα ταῖσι φρεσί.
Σεμνὰ πρέπει σεμναῖς καὶ θείαις ἡρωΐναις,
Σεμνόλογοι πᾶσαί εἰσιν ἄνευθε τριῶν.
ὧν βίος ὥσπερ ἔην ἀσεβὴς, μοχθηρὸς, ἀσελγὴς,
οὕτως εἰκὸς ἔην γράμμασι τάσδε δακεῖν.
κείνων οὖν ἐλλαμπρύνεται βίος ἔξοχος ἄλλων,
καὶ πλέον ὀτρύνει ἡμέας εἰς τὸ καλόν.
εἴ τινα σφάλματ' ἀθρεῖς, παραβλέψας αἴνεε ψήφῳ
παισίτε ὠφελίμους εὐσεβέας τε πόνους.

SACRA-

SACRARVM HEROIDVM LIBER PRIMVS.

Argumentum primæ Epiſtolæ.

Deplorat caſumq́; ſuum, natiq́; minoris,
Quem necuit miſcens faſq; nefaſq; Caîn.

EVA CAINO.

SCribere non ſuetam luctus me cogit acerbus,
Quo crucias pectus ſæpe Caïne meum.
Is mihi non patitur conſiſtere corde quietem,
Et facit, vt labi tempora tarda putem.
Quæ mentem maleſane tibi excæcauit Erinnys, Geneſ. 4.
Vt fratri ſtrueres triſtia fata tuo?
Luctibus heu quantis onerasti teq́; tuoſq́;,
Inuidia in fratris te ſtimulante necem!
Tranquillam licuit nobis traducere vitam, Geneſ. 2.
Abſque mali ſenſu, mortis & abſque metu.
Sed dum iuſſa Creatoris poſtponimus Anguis Geneſ. 3.
Peſtiferis monitis, nos mala mille premunt.
Heu nobis mens læua fuit, malè cauta malorum,
Quæ nos autores, & genus omne manent.
Fœlices fuimus, nunc vix ſudore paramus,
Quas corpus veſtes poſtulat atque cibos.

Vt taceam morbos, & mille pericula vitæ,
Quæ Deus offenſus nos tolerare iubet.
» *Res adeò grauis eſt, & deteſtabile virus,*
» *Contempſiſſe Dei iuſſa ſalutifera.*
Te, fratremq́; piè genitor formauerat antè,
Cælicolûm Regi ſæpe litare docens.
Eximios idcirco agnos lectaſq́; bidentes,
Geneſ. 4. *Ante aras ſupplex cædere ſueuit Abel.*
Hebr. 11. *Quapropter fratris fuit hoſtia grata Tonanti,*
Vt quam teſtatus ſit placuiſſe ſibi.
Tu verò de primitijs deterrima quæque,
Ingrata ſuêſti mente dicare Deo.
Non igitur ſuperis tua ſacra probata fuère,
Quæ tibi liuoris cauſa maligna fuit.
Qui ſtimulante ergo Coluber liuore parentes,
Impulit in lapſum lethiferumq́; nefas;
Te furijs actum feralibus impulit idem,
Fratris in infandam luctificamq́; necem.
O vtinam noſter caſus tibi nate fuiſſet
Terrori, ſuadens tale patrare nihil.
Eheu ſat poterat te culpa docere parentum,
Quas ſcelerum pœnas exigat ira Dei.
Non impunè feres ſcelus hoc, dũ vixeris, vnquã;
Inuiſus viues omnibus atque Deo.
Hæc erit impietas omni execrabilis æuo,
Dum fundet lumen Phœbus ab axe ſuum.
Atque vtinam nunquã te poſtera ſæcla ſequãtur,
Territa cæleſtum ſupplicijq́; metu.

Seſeq́;

Seseq́ abstineant fundendo sanguine fratrum, Genes. 9.
Numinis offensi ne premat ira reos. Matt. 26.
Nā scelus est grauius, quàm quod patiatur inultū, Leuit. 19.
Qui suffert odij semina nulla, Deus. Math. 5. 1. Ioan. 3.
Qua fronte interimis fratrē, insontemq́ piumq́,
Qui nulla læsit te ratione prior?
Ferre nequis illum, cuius pietasq́ fidesq́,
Sunt signis nec non voce probata Dei?
Accersit sibi perniciem, quicunque resistit,
Decretis Domini, consilijsq́ Dei.
Grata fuit mihi simplicitas & candor Abeli,
Nempe oblectantis me pietate sua.
Hæc fecêre meos casus non ferre molestè,
Semper & ærumnæ non meminisse meæ.
Solamen fuit is genitrici, omnisq́ voluptas,
Solus amor matris deliciumq́ fuit.
Ergo tuo postquam liuore & fraude peremptus
Ille fuit, matrem quod iuuet, omne perit.
Atque obducta diu recruduit illa cicatrix,
Quam morsu Coluber fecerat antè suo.
Quodq́ mihi est grauius, natis orbata duobus,
In luctu vitam nunc grauiore traho.
Nam simul atque tuus furor execrandus Abeli,
Abstulit aspectum colloquiumq́ mihi:
Heu procul à nobis profugus loca vasta peragras, Leui. 26.
Nec spes est reditus vlla relicta tui. Deut. 28.
Nos fugitas, quia mens sceleris te conscia terret, Iob 15.
Et facit, vt iam non lumina nostra feras. Prou. 28. Sap. 17.

Ah

Ah quamuis fugias extremas orbis ad oras,
Nunquam Tisiphone non comitatus eris.
Zach. 8. *Plus plumbo grauis est homini mens conscia praui,*
" *Excludens requiem, cunctaq; tuta timens.*
Ne tamen idcirco, placandi Numinis iram
Abijce spem, quamuis sit tua culpa grauis.
Numinis intonuit rigor in nos, attamen eius
In nos est pietas non minor, atque fides.
Quæ nos sustinuit, nosq; est miserata, Tonantis
Est maior pietas impietate tua.
Digni ambo fuimus perdi telluris hiatu,
Missoq; æthereis igne perire polis.
Non tamen in meritas pœnas laxauit habenas,
Respiciens propria nos pietate Deus.
Sed refrenauit sibi motæ hortamina bilis,
Atque in longa dedit tempora, luce frui.
Genes. 3. *Est quoque pollicitus, fore finē aliquādo malorum,*
Crimine quæ nostro nos meruisse scio.
Serpentisq; caput minuendum calcibus altè
Impactis, virus ne magis ille vomat.
Sæcula sunt gemmis candentibus illa notanda,
Contritum Colubri digna videre caput.
Fœlix posteritas, nasci illo tempore digna,
Cùm iam non poterit lædere culpa vetus.
Hæc spes in tantis sit consolatio nostra,
Quæ sunt exulibus multa ferenda, malis.
Si sapis, hanc cædem precibusq; sacrisq; piabis,
Ne tibi non facilis sit Deus, atque Vale.

Argu-

Argumentum ſecundæ Epiſtolæ.

Se queritur natumq́; ſuum concedere iuſſam,
Ex Abrahæ, domina ſic ſtatuente, domo.

AGAR ABRAHÆ.

FOrtunæ plorare vices fallacis, obortus
Me cogit vehemens, vir venerande, dolor.
Seruitium tolerare mihi graue non fuit olim,
Tam faciles dominos cum mihi nacta forem.
Humanum ſenſi atque mei te ſemper amantem,
Cauſaq́; de domino cur querar, omnis abeſt.
Sed dominæ modò factum animum queror aſperum & acrem
In famulam, & prolem te genitore ſatam.
Vxori ſterili cùm non contingeret vlla Gen. 16.
A Superis ſoboles, votaq́; caſſa forent:
Coniugis ex iuſſu thalamo ſucceſſimus ambo,
Ne vobis ſoboles nulla relicta foret.
Iamq́; ter implêrat ſua lumine cornua Phœbe,
Sarcina cùm ventris fit manifeſta mei.
Quare hera me cernens grauidã, contẽnere cœpit,
Fœcundam famula ſe minus eſſe dolens.
Afflixitq́; malis tantis, vt cedere tectis
Cogerer, & fugerem, quò rapuêre pedes.
Fortè malis peritura fui cum pondere ventris;
Quò me conferrem, neſcia namque fui.
Sed me nuncius ætherius remeare iubebat,
Vnde modò exieram præcipitante gradu.

Vt pars

Vt pars nempe tui tenues prodiret in auras,
Cùm decies Lunæ cornua iuncta forent.
Promittebat enim ſobolem mihi nuncius ille
Egregiam, nemo quam numerare queat.
Ergo Deo cedens ad herilia tecta reuerti,
Officijs dominam flectere poſſe rata.
Aſt illi fuerat nulla mens flexilis arte;
Quæ grauis antè fuit, fit mihi dura magis.
Gen. 21. *Imo odijs exarſit in innocuum quoque natum,*
Quamuis prognatus te genitore foret.
Iſacon haud patitur famulæ colludere nato,
Lædit eam Iſmaël, quantulacunque facit.
Deſpicit, vt vernam, priuignum dura nouerca,
Semper & in promptu eſt, quod notet illa mali.
Cùm ſterilis foret, humanam, facilemq́; piamq́;
Quam ſenſi, mox eſt aſpera facta mihi.
Nec mora, iam tumida flagrans præcordia bile,
AEdibus exegit me, puerumq́; meum.
Gen. 16. *Quem tamen in terris primum decorauit honore*
Nominis, audiſſet quod mea vota, Deus.
Et cui promiſit numeroſam, Marteq́; claram
Progeniem, multos quæ domitura foret.
Gen. 21. *Hunc tamē è Tharidæ prognatum ſemine, paruum*
Cum matre expulſum iuſsit inire fugam.
Quæq́; toro fuit Abrami dignata ſuperbo,
Impulſu dominæ cogitur ire foras.
In vaſtisq́; errare locis cum prole iubetur,
Cum lympha ſecum paucula liba ferens.

Hac

Hac mercede ministerium pensatur Agaræ,
Hic fructus tanto concubuisse viro.
Iamq́ sitis vehemens ex æquo ceperat ambos,
Deficiebat enim, quam biberemus, aqua.
Iamq́ arente siti fueram peritura, puerq́,
Torrebas adeò lampade Phœbe solum.
Sed solita pietate Deus nos æthere ab alto
Respiciens, nobis suppeditauit aquam.
Nato namque meo metuentem proxima fata
Leniit affatu, pollicitisq́ piis.
Deinde meis oculis atra caligine dempta,
Fons mihi perspicuis cernitur vber aquis.
Ambobus gelido sitis est hoc fonte leuata,
Hoc progressuris fonte repletur vter.
Par fuerat (fateor) dominæ concedere seruam,
Par fuerat nullis obstrepuisse modis.
Si foret hoc factum, non tectis pulsa fuissem,
Et fortuna foret plus toleranda mihi.
Sed serò sapio, nunc est mea sera querela,
Et serò gemitus tendit ad astra meus.
Non queror expertem natum abcessisse bonorum, Gen. 25.
Quæ par est nato cedere cuncta tuo.
Ast inopes natum domini, famulamq́ fidelem,
Demiror iussos quamlibet ire viam.
Nam promissa Deus sua bis firmauit, vt illa
Esse foret certum non caritura fide. Gen. 16. & 21.
Nempe hoc innumeros gignendos esse parente,
Qui bello fortes conspicuiq́ forent.

Imò

Gen. 17. *Imò Ducum fore bis senorum aliquādo parentem,*
Illustres lata qui ditione forent.
Non ope destituit iussos nos cedere tectis,
Genes. 21. *Verùm cuncta dedit spe potiora, Deus.*
Cuius promissis mentem suffulta labantem,
Quæ me cunque manet sors patienda, feram.
Non igitur nostram fortunam ferre recuso,
Cum magna foueat nos pietate Deus.
Quidquid id est, Superis, vir dilectissime, soli
Acceptum refero grata memorq́; tibi.
Me decet idcirco bene velle tibiq́; tuisq́;,
Et nomen memori tollere laude tuum.
Phœbea dum luce fruar, benefacta recurrent;
Hærebunt semper sensibus illa meis.
Extudit has ingens dolor alto corde querelas,
Ex animo Tharidæ sum studiosa tamen.
Isacus ætatem multos producat in annos,
Contingatq́; viro stirps numerosa, precor.
Atque optata tuis obtingant omnia votis,
Teq́; diu seruet, quem colis, oro, Deus.

Argumentum tertiæ Epistolæ.

Interitum Sodomæ, Lotique miserrima fata
Deplorat, niti spe meliore iubens.

SARA LOTO.

Compulit insolitam, qui te charissime frater
Oppressit casus, scribere pauca tibi.

Est igitur

Eſt igitur tremulis digitis hæc littera ſcripta,
Teſtatura, vicem me doluiſſe tuam.
Quantis impietas heu cladibus inclita quondam Geneſ.19.
Oppida deleuit, nil ſupereſſe ſinens!
In tetros cineres loca ſunt fœlicia verſa,
Quæ rara inuentu balſama ferre ſolent.
Pentapolis regio ſqualet nunc vſta fauillis,
Nec quiſquis ſpectat, non ſtupuiſſe poteſt.
Impietas Sodomæ poſcebat vindice flamma
Puniri, vt reprimat poſtera ſæcla metus. Iudas.
Contemptis ſuperis ne pergant crimen in omne, 2. Pet. 2.
Neve feris ſimiles in ſcelus omne ruant.
Nec ſe laturos credant impunè, Tonanti
Si bilem moueant impietate ſua.
Cuncta Dei cernunt oculi, quæcunque geruntur Prou. 15.
In terris, fuerint ſeu bona ſiue mala. "
Quæ Deus exactè perpendit lancibus æquis, "
Reddens pro meritis præmia cuique ſua. "
Inuentiq́ utinam iuſti bis quinque fuiſſent, Geneſ.18.
Vrbibus in quinis finitimisq́ locis.
Hei mihi, non hominum perijſſent millia multa,
Tartareis meritò iuſſa flagrare rogis.
Ducturus fueras tranquillæ tempora vitæ, Geneſ. 13.
Cunctarum rerum copia tanta fuit.
Sed fuit impietas Sodomæ tanta atque Gomorræ,
Vt fuerit tolli vindice digna Deo.
Quæ meruit miſsis puniri ex æthere flammis Geneſ.19.
Sulphureis, ingens heu nimis illa fuit.

Egregiam sanè laudem pietate mereris,
Quod Sodomæ constans manseris atque pius.
Quod plebem cernens cæcam vitijsq́ proteruam,
Perstiteris vigilans iustitiæq́ tenax.
Semper & hospitibus quod te fidũ atq; benignum
Præbueris, patrui non imitator iners.
Namque duos iuuenes demissos cælitus, abs te
Heb. 13. *Acceptos tectis fama fuisse canit.*
Hospitibusq́ nihil non exhibuisse, facultas
Quòd patiebatur, conditioq́ tua.
Gen. 19. *Cumq́ fores clausas Sodomitæ effringere vellent,*
Vt facerent, quæ sit vel memorare nefas:
Hæc vt non facerent, natis placare duabus
Virgineo claris flore, paratus eras.
At mentes adeò furor excæcauit eorum,
Vt nollent cæptis abstinuisse suis.
Non monitis, non blanditijs præcordia flecti
Cæcorum poterant, terrificísve minis.
Non igitur miror, malè si periêrè scelesti,
Conantes adeò turpe patrare nefas.
Te verò vxoremq́ tuam natasq́ prius, quàm
Sulphure flagrarent oppida & igne sacro,
2. Pet. 2. *Gratulor ex animo tantum euasisse periclum,*
Hortatu iuuenum, qui subiêre domum.
Oppida nec flammis potuisse hæc antè cremari,
Quàm vobis esset certa parata salus.
Hæc te seruauit tutum expertemq́ malorum
Haud dubiè pietas, eripuitq́ malis.

In te-

In tenues Deus atque vagos benefacta rependit; »
Affluit hinc merces, & pietatis honos. »
Atque vtinam post effugium non lumina retro
Flexisset coniunx, iussa secuta Dei.
Non salis in statuam momẽto versa fuisset, Luc. 17.
Quæ semper moneat iussa timere Dei,
Vt nemo Superûm monitis parêre recuset,
Seu sors attollat, deijciátve gradu.
Quæ tibi debuerat mœsto solamina ferre,
Materiam luctus præbuit illa noui.
Nunc igitur luctu geminato, vxore, domoq́;
Orbatus, montis deuia in antra fugis.
Hic tristes ploras casus, hic pectora plangis,
Hic latitans tecum tristia fata gemis.
Hos vbi rumores accepi, nomine vestro
Indolui plus, quàm prodere lingua queat.
Communem cladem stratorum sulphure & igni;
Coniugis & casum plangere cogit amor.
Cogit amor, quo te cum coniuge semper amaui,
Te consolari, qua ratione queam.
Mille malis hominum vitam scis esse refertam, »
Quæ sunt & prauis & toleranda pijs. »
Hæc cedunt iustis fœliciter omnia, prauis » Rom. 8.
In peius cedunt, exitiumq́; ferunt. »
Exagitauerunt mala meq́; meumq́; maritum
Plurima, quæ longum nunc memorare foret.
His tamen ereptos pietas diuina tuetur,
Prolis & est nobis spes modò facta rata. Genes. 18.

Hebr. 11. *Nunc vterus toties optata prole tumeſcit,*
Et lactabit anus, quæ ſine prole fuit.
Ambobus ſenio frigent in corpore vires,
Mox tamen optata prole beata ferar.
„ *Quippe fit extemplo, placuit quodcunque Tonanti,*
1. Reg. 2. *Res hominum ſolus deprimit atque leuat.*
Fide Deo, quoniam ſibi fidentemq́; piumq́;
Deſeret haud vnquam, ſed tibi fidus erit.
Si quæ forte tibi deſunt, quæ vita requirit,
Ne nos celato: cuncta petita feres.
De patrui pietate nihil dubitaueris: in te
Vt fuit, haud vnquam deſinet eſſe pius.
Gen. 14. *Hoſtibus eripuit captiuos teq; tuosq;,*
Adiutus vernis, atque Tonantis ope.
Nunc quoque non rebus trepidantē deſeret arctis,
Sed tibi (ſi ſit opus) cuncta petita dabit.
„ *Mutatam tolera patienti pectore ſortem,*
„ *Omnia raptari mobilitate videns.*
„ *Sola manet virtus in tanto turbine rerum,*
Hæc immota tibi ſit comes, atque Vale.

Argumentum quartæ Epiſtolæ.

Se Tharidæ ſcribit numeroſa prole beatam,
Gaudet & effœtis Iſacon eſſe ſatum.

MELCHA ABRAHÆ.

ASſyrijs, quæ ſcripta legis, mittuntur ab oris,
Maxime ſyncera relligione leuir.

De rebus nostris statui tibi scribere pauca,
Quas tibi compertas arbitror esse parum.
Bis quater enixæ prolem gratare virilem; Gen. 22.
Hinc mihi plaudendi causa viroq; datur.
Quandoquidem tanta pariter virtute nitescunt,
Vt meritò oblectent meq; virumq; meum.
Quin & Roma meo quater est enixa marito,
Est ergo nostræ spes numerosa domus.
Atque vtinam coniunx tua tam fæcunda fuisset; Genes.15.
Torsisset rarus pectora vestra dolor.
Respexit tamen ad suspiria vestra precesq;, Genes.18.
Qui spes iustorum est indubitata, Deus.
Nam peperit non sola tibi (ne prole careres) Genes.16.
Ancilla, ex Phario quæ fuit empta solo.
Verum etiam enixa est exoptatum Isacon vxor, Genes.21.
Spem magnæ sobolis deliciasq; tuas.
Si numerare potest omnes quis in æthere stellas, Genes.15. 16. 22.
Cum pulsis Borea nubibus astra nitent: Hebr. 11.
Si, spirans Zephyrus Libycas quot iactet arenas,
Dicere, cum flagrant torrida signa Canis:
Et certo poterit numero comprendere, stirpe
Quot progignendi sint Abrahame tua.
Atque adeò Reges magna ditione potentes, Genes.17.
Quorum cantabit nomen vterque polus.
Se iactent alij numerosa prole parentes,
Multorum vobis Isacus instar erit. Galat. 4.
Non igitur miror puerum à risu esse vocatum, Gen. 21.
Cum tulerit vobis gaudia tanta puer.

Genes.17. 18, 21. *Nonaginta annos natam lactasse quis vnquam*
Audijt? aut factum decrepitum esse patrem?
Vnde Deum Dominum naturæ sat liquet esse,
Et facere actutum, quod sibi cunque libet.
1. Reg. 2. *Quæ sterilis fuerat, fœcunda fit, & vice versa*
Quæ fœcunda fuit, desinit esse parens.
" *In terris haud absque Dei fit numine quidquam,*
Ioan. 15. " *Viribus humanis nil licet absque Deo.*
Genes.13. 14.. *Immensis polles opibus; pecuaria, seruos,*
Ancillasq; tuas vix numerare queas.
Et latè clares illustris nomine famæ,
Gen. 21. *Quidquid enim tentas, prosperat omne Deus.*
Namque tibi fœlix belli fuit exitus omnis,
Gen. 14. *Commissum læso quod tibi cunque fuit.*
Inter tot rerum successus defuit vnum,
Quod magis in votis credo fuisse tibi;
Genes.15. *Legitimus natus, cui copia tanta bonorum*
Cederet, orbatus cum genitore foret:
Qui te compellet prædulci nomine patris,
Qui matrem referat, qui pietate patrem.
Sed vota amborum non cassa fuère precesq;,
Nam serò natus gaudia summa tulit.
Nec minimam laudis pietas tua magna meretur,
Gen. 22. *Et fertur Superis grata fuisse fides.*
Hebr. 11. *Nam cum iussus eras mactare in vertice montis*
Natum, plus oculis qui tibi charus erat.
Absque mora cultro, lignis, atque igne paratis,
Monstrati montis culmina celsa petis.

Iamq;

Iamq́ſuo tincturus erat puer Iſacus aram
Sanguine, & in cineres mox abiturus erat.
Sed celer aſtrifera demiſſus nuncius arce,
Quod facturus eras, impediebat opus.
Victima præterea iuſſu eſt oblata Tonantis,
Quæ caderet nati nomine cæſa tui.
Victima vulnificis aries in vepribus hærens,
Qui cæſus Superis hoſtia grata fuit. Eccle. 44.
Hæc tua firma fides per ſæcula multa canetur, Galat. 3.
Nec veſtræ numerus poſteritatis erit. Hebr. 11.
Spero aliquando fore, vt noſtris ex neptibus vxor
Sit nato (ſi non irrita ſpero) tuo.
Si mihi tam longæ renuuntur tempora vitæ,
Lenibit mortem, ſpes tamen iſta meam.
Tanti namque viri nequeat non maximus eſſe
Natus, ei malas cum noua barba teget.
Ter fœlix igitur fuerit me iudice nympha,
Tam clari iuuenis digna ſubire torum.
Et quamuis caſus vitæ experiare moleſtos,
Eripit illæſum te tamen inde Deus.
Aſpiratq́ tibi cunctis in rebus agendis, Gen. 21.
Vt mihi iamdudum publica fama canit.
Quam tibi fortunam ſyncerè grator, & opto,
Vt ſemper maneat læta fauensq́ tibi.
Te Deus vxoremq́ tuam natumq́ ſuauem
In vitæ ſeruet tempora longa precor.
Hæc libuit paucis leuiro perſcribere charo,
Copia colloquij quando negata mihi eſt.

Atque vtinam scriptis me dignarêre vicißim;
Nobis (crede mihi) res ea grata foret.
Hoc facies, redamas si meq; meumq; maritum,
Interea longùm vir venerande Vale.
Charris.

Argumentum quintæ Epistolæ.

Sortis, quam charo genitore ex ordine pandit,
Nomine legatur, nec mala pauca refert.

REBECCA BATHVELI.

SI raris genitor te chare saluto tabellis,
Ne me crede ideo non meminisse tui.
Viuere dum dabitur, iuncti mihi stirpe subibunt,
At chari in primis patris imago mei.
Genes. 2. *Coniugij fecit me lex hærere marito,*
Gen. 24. *Egressam patrio, lege iubente, solo.*
Non tamen idcirco patremq; domumq; paternam
Oblita vestri linquere mente queam.
Non in progenitam tam clara stirpe Rebeccam
Hæc cadit impietas, nec nota tanta cadet.
Nunc operæ pretiũ visum est mihi scribere pauca,
De natæq; tuæ, de generiq; statu.
" *Chara cuique sua est tellus natalis, at ista.*
Tellus est patrio plus mihi chara solo.
Nam famulus soceri nostras vt vênit ad ædes,
Huc abducturus me comitesq; meas,
Festinum famulum sum, nil cunctata, secuta,
Supremum vobis læta precata Vale.

Illico diuelli cognatis iure dolebam,
In me lenta tamen non fuit vlla mora.
Res tædis Tharidæ visa est mihi magna potiri,
Non mihi maioris spes erat vlla tori.
Quanti namque forent coniunxq́; socerq́; futuri,
Indicio fuerant munera missa mihi.
Heroïs tanti cui non peruênit ad aures
Gloria, diuitiæ, cum pietate fides?
Et spectata fides famuli & prudentia missi,
Maxima mirandi causa fuêre mihi.
His ego mota statim conscendi læta camelum,
Sumens quæ doti dona fuêre data.
Cuius me facti pertesum est tempore nullo,
Imò est, cur semper gratuler inde mihi.
Namque volente Deo coniunx mihi cōtigit iste,
Et pius, & pecoris diues, amansq́; mei. Gen.26.
Nam qui defunctæ lugebat amore parentis, Gen. 24.
Lugendi finem fecit amore mei.
Atque vtinam socrui mansisset longior ætas, Gen. 23.
De qua magnificè publica fama canit.
Non potuit non esse grauis matrona, piisq́;
Moribus, Abramo nubere digna viro.
Sed mortem tolerare queo moderatius eius,
Cernere quam nunquam fata dedêre mihi.
Post nobis luctus soceri est ex morte subortus Gen. 25.
Maior, conspicuus qui pietate fuit.
Nunquam non spectare mihi atque audire libebat
Semideumq́; virum, semiuirumq́; Deum.

Illius aſsimilem non ætas protulit vlla,
Nec feret Heroëm relligione pari.
Et quia iam luſtris ter denis atque quaternis
Maior erat, ſenio debilitatus erat.
Quapropter quoniam naturæ cedere legi
Debuit, eſt eius mors toleranda magis.
" *Nec pietas, ſed nec fideï conſtantia quemquam*
" *A mortis iaculis eripuiſſe poteſt.*
Iamdudum egregiè coniux meus Iſacus illum
Exprimit & cultu Numinis, atque fide.
Tali namque ſatus patre neſcit degener eſſe,
" *Patre bono genitus non ſolet eſſe malus.*
Gen.25. *Sunt mihi complures leuiri, ſed fœdere nati*
Ex non legitimo, quos moror ergo minùs.
Gen.26. *Orta fames dudum profugos nos cedere iuſsit,*
Atque Philiſtæo delituiſſe ſolo.
Hic tamen vſque adeò ſucceſſere omnia nobis,
Vt nos hinc peteret liuor & inde grauis.
Aſt vterus ſterilis vitiauit gaudia noſtra,
Quæ fortuna dedit, coniugijq́ue fides.
Nam ver bis decies pinxit viridantia prata,
Et toties cecidit falce reſecta ſeges.
Cùm fructus expers grandeſcens labitur ætas,
Cogitur & dulci prole carere torus.
Sed tandem flexêre Deum ſuſpiria noſtra,
Namque onus optatum viſcera noſtra grauat.
Hoc ob onus nobis releuantur corda dolore,
Hoc facit, vt fugiat longus ab ore pudor.

Sic ſoceris ſenio grauibus, cùm prolis adempta Gen. 21.
Spes foret, eſt coniux editus ille meus.
Spes homini protracta, grauis, ſed gaudia ſecum „
Exitus optatus multiplicata vehit. Prou. 13.
Contingat facilis Superûm mihi munere partus,
Vt matris titulo ſim decoranda nouo.
Vt generi noſtro ſuccreſcat clara propago,
Semper & exornet multiplicetq́; genus.
Vt rata ſint promiſſa Dei, qui multa nepotum Geneſ. 13. & 15.
Promiſit ſocero millia ſæpe meo.
Non equidem dubito, quin hæc promiſſa Tonantis
Euentum tandem ſint habitura ſuum. Heb. 6.
Nam quamuis illa in longũ mora prorogat æuum,
Vera tamen comitans exitus eſſe probat.
Hæc vt grateris natæ, tibi ſcribere viſum eſt,
Nullaq́; vos cruciet nomine cauſa meo.
Haud ſecus atque ambo cõiunx & nata valemus,
Sanguine cum iunctis chare Valeto parens.

Argumentum ſextæ Epiſtolæ.

Plus Iacobon amans queritur formoſa Rebecca
Luſtra illum patria bis duo abeſſe domo.

REBECCA IACOBO.

QVa careo, dum te careo, tibi mitto ſalutem,
Quam matri reditu reddere nate potes.
Longa tui deſiderio mora compulit ægram,
Scribendo curis cor releuare meum.

Nam

Gen. 25. *Nam mihi te charum semper præ fratre fuisse,*
Haud paucis signis doctus es ante fugam.
Maiorem natu genitor plus diligit Esau,
Es matri charus plus Iacobe tuæ.
Ambos vna dies in lucem protulit, annis
Optatum multis ambo fuistis onus.
Te tamen antefero fratri, cum mitius in te
Ingenium spectans, tum pietatis amans.
Gen. 27. *Ille ferox nimis est, hirsutus, rufus, agrestis,*
Ille colit terras, insequiturq́; feras.
Tu vitam placidam sectaris & otia, lenis,
Affatu facilis, candidus atque pius.
Gen. 28. *Hoc quoq; me malè habet, Maheleth ꝙ duxerit ille*
Vxorem, Ismaël de genitore satam.
At tu si monitis vis auscultare parentis,
Nullam de Canaam ducere stirpe voles.
Gen. 25. *Et cum fatidicum responsum pectore verso,*
Cur te plus adamem, maxima causa subest.
Nam geminos intra collidi viscera sensi,
Quare cor nouitas perculit ista meum.
Ergo metu studui scitari oracla Tonantis.
Vt scirem, monstri quid paritura forem.
(Nam fratres nondum vitali luce fruentes,
Quis non miretur conseruisse manus?)
Quæ grauidam populis dixerunt esse duobus.
Qui sibi dissimiles conditione forent.
Namque in maiorem fore ius aliquando minori,
Fortunam penes hunc, & decus omne fore.

Hæc vbi docta forem, trepidaui membra pauore,
Hæcq́ꝫ volutaui pectore ſæpe meo.
Hinc, quia poſterior veniſti lucis in auras,
Plus, quam germani, ſum ſtudioſa tui.
Hinc ſemper metui, ne non benedictio patris
Contingat, fratri debita, nate tibi.
Et quia delectare patrem ſolet eſca ferina, Gen. 27.
Quam patri nôrat ille parare ſuo:
Maiori voluit genitor benedicere nato,
Quæ res magna mihi cauſa doloris erat.
Spe certè fraudandus eras, niſi cauta futuri
Intercepiſſem conſilium omne patris.
Vt breuiter dicam, per me benedictio fratri
Debita iure, tibi non ſine fraude data eſt.
Quare odijs in te tantis exarſit, vt eſſet
Perpetui luctus cauſa mouenda mihi.
Namque minabatur cædem tibi ſanguine fuſo,
Ne fraus facta ſibi ſemper inulta foret.
Polluturus erat fraterno ſanguine palmas,
Cæde tuum referens dire Caïne ſcelus: Geneſ. 4.
Ni Carrhas profugus petijſſes matre iubente,
Fratris vt interea mitior ira foret.
Exilij mora longa tui me lenius angit,
Quòd ſit ſors iſtic non inimica tibi.
Cedunt namque tibi (quamuis non abſque labore) Geneſ. 31.
Quæ cupis, ex voto cuncta, fauente Deo.
Ne formoſa Rachel tibi non contingeret vxor, Gen. 29.
Audio te luſtris multa tuliſſe tribus.

Ex qua

Ex qua germanaq́; Lia famulisq́; duabus,
Iamdudum ſoboles gignitur ampla tibi.
Atque modum ſupra ditatus diceris eſſe
Genef.30. Et pecore & famulis, omnia dante Deo.
" Sic meritis benefacta beat pia cura Tonantis,
Pſal. 111. Sic ſtat apud Superos relligionis honos.
Iſtic ergo mihi ſedes fixiſſe videris,
Oblitus penitus me patriumq́; ſolum.
Sedibus à patrijs plus ſæculum abeſſe videris,
Prou. 13. Nam deſiderio torqueor vſque tui.
Nunc igitur Carrhis ad nos properato relictis,
Vt tandem curis pectora noſtra leues.
Vt fruar aſpectuq́; tuo nuruumq́; mearum,
E natisq́; tuis gaudia multa feram.
Quando erit, vt mæſtæ veniant ſolamina tanta?
Tranquillum, cùm te videro, pectus erit.
Genef.31. Luſtra procul patria propè te tenuêre quaterna,
Non crucier curis nomine nate tuo?
Huc igitur greſſum ſecura mente reflecte,
Atque à fratre tibi nulla pericla time.
Ira odiumq́; vetus refrixit tempore longo,
Infregitq́; graues tam mora longa minas.
Genef.33. Aut certè donis, quorum eſt tibi copia magna,
Germanum flectes blanditijsq́; tuum.
Vel tibi placatum reddet pia cura Tonantis;
" Immotum, quidquid iuſſerit ille, manet.
Ante fugam genitor, maiori debita fratri,
Quæ tibi promiſit munera, certa manent.

Tempus

Tempus erit, cum diues opum celebrabere latè,
Et tua progenies Regia ſceptra feret.
Progenies, quæ ſit numeroſior æquoris vndis, Gen. 28.
Puluere quæ Libyco ſit numeranda minùs.
Hac animum fultus pete ſpe natalia tecta;
Omnia ſuccedent ſpe meliora tibi.
Iamdudum ſenio confecti viuimus, imò
Viuentes morimur, nec niſi fata manent.
Ad nos ſi redeas exoptatiſsime nate,
Salua ferens tecum, quæ bona cunque tenes,
Soluentur longo præcordia noſtra dolore,
Quem parit iſta tuæ tam mora longa fugæ.
Quæ videor nato mihi nunc orbata minore,
Te cernens, alacris, ceu noua mater, ero.
Fortunata dies, quæ natum & pignora nati
Reſtituet dum me viuere fata ſinent.
Si tuus in matrem reſpondet matris amori,
Accelera reditum quòd potes, atque Vale.

Argumentum ſeptimæ Epiſtolæ.

Implorat rapta à Sichemo mœſtiſsima Dina
Auxilium fratrum, reſtituique rogat.

DINA FRATRIBVS SVIS.

HAud mirum fratres lacrymis mea ſcripta madere,
Exprimit has miſeræ nocte dieq́ʒ ſtatus.
Nam teneor procul à laribus captiua paternis,
Hic vos atque patrem cum genitrice gemens.
Me mi-

Me miseram, geniúsne meus decepit, an error,
Cum progressa foras in mea fata rui?
Gen. 34. Nam dum spectatũ nymphas Cananitidas irem,
Imprudens perij, nulla pericla timens.
Namque vt luminibus vidit me fortè petulcis
Heuæus iuuenis, cepit amore capi.
Atque renitentem rapuit, neq; multa minantem
Audijt: heu precibus non locus vllus erat.
Nec mora, me duxit lachrymantẽ in tecta parẽtis,
Quod dictabat amor, iure licere ratus.
Flagrat amore mei Sichemus patre editus Hemor.
Qui tamen inuisus plus cane & angue mihi est,
Inuitam retinet, verbis demulcet amicis,
Sed mihi mœrenti gaudia nulla feret.
Nullis blanditijs, promissis denique nullis
Ægram placabit, qui mihi probra tulit.
Ille suos iactet natales, nomine formæ
Ille sibi placeat, sit quoque diues agris.
Hæc tanti non sunt, Abrahami vt stirpe creata
Iungi illi thalami fœdere Dina velim.
Antè lupos & oues coniungent fœdera firma,
Incircumciso quàm sociabor ego.
Numinis æterni nobis reuerentia semper
Obseruata, facit me meminisse mei:
Ne probrum pariam nostro generiq́, mihiq́,
Aut ab auis videar degenerasse meis.
Antè mihi tellus vltrix disrupta dehiscat,
Perdat vt indignum viuere, iussa, caput.

Quàm

Quàm peragar sceleris rea tāti, vt Numine spreto,
Quod semper colui, numina falsa colam?
Nam brutis canibus non sunt præstare putandi, Matth.15.
Qui statuis faciunt vota, sacrisq́; colunt.
Errorem plorabo meum, dum lampada Phœbi
Luminibus dabitur cernere posse meis.
Nocte fugit somnus, somnum pellente dolore,
Quem facit immensum vis cumulata probris.
Ne fratres sinitote diu mœrére sororem,
Quisque sed vltores, quo premor, este probri.
Quæ mihi ab Heuæo facta est iniuria magna,
Non vobis est, me iudice, facta minus.
Vnica sum vobis soror; hanc defendite fratres;
Si vos deseritis, perdita semper ero.
Eripuit proauus captiuum vindice dextra Genes.14.
Lotum, fraterno sanguine nempe satum.
Cessabunt fratres, quando captiua tenetur
Impio ab Heuæo tot mala passa soror?
Vimq́; mihi illatam patientur semper inultam?
Non vim pensabunt vi, malefacta malis?
Comprimat vt scortum, genitam Israële parente:
Id nostri generis gloria ferre queat?
Oppressæ per vim miserescite quæso sororis,
Cui spes in vobis præsidiumq́; suum est.
Vestram imploro fidem supplex, opis indiga vestræ,
Qua si destituar, mors mihi grata foret.
Ah Simeon Leuiq́; manu defendite forti
Germanæ factam vimq́;, probrumq́; graue.

Gen.29. *Vos fratrum primi lucis venistis in auras,*
Quæ vobis genitrix, & mihi mater erat.
Haud reliqui fratres vobis adiungere vires
Cessabunt, vt non vis sit inulta diu.
Intrepidis animis vindictæ accingite vosmet;
Sufficiet vobis vimq́ dolosq́ Deus.
" *Grata Deo est pietas, hanc auget honoribus, atque*
" *Viribus, impietas est odiosa Deo.*
Armis quò munita nequit pertingere sola,
Perueniat vafro vis comitata dolo.
Non deerunt, si vos noui, viresq́ doliq́,
Quidlibet efficient visq́ dolusq́ simul.
Delictum Sichemi luat vrbs hæc tota cruore,
Exemplo doceat postera sæcla suo.
Maiores nostros vt vi defendit ab omni,
Sic vobis aderit (ne dubitate) Deus.
Gen. 34. *Armentis ouibusq́ est Hæmor diues, agrisq́,*
Possidet ingentes cum patre natus opes.
Sed quia vana colunt simulacra, deosq́ profanos,
Vt quid opes tantas impia turba tenet?
Fortunis tantis potius spolientur, vt æquum est,
Et pœnas dignas impietate, luant.
Eia Iacobigenæ, correptis ocyus armis,
Reddite me vobis, atque Valete diu.
Sichimæ.

Argumentum Octauæ Epistolæ.

Resque statumque suum pandens longo ordine patri,
Incautæ Dinæ turpia probra refert.

RACHEL LABANO.

QVam tibi mitto Rachel Pater ex Cananitide terra,
Te ſaluere iubet littera lecta tibi.
Nos quoniam dirimit diſtantia magna locorum,
Quod non lingua poteſt, littera miſſa poteſt.
Compellare patrem licet hac, mentisq́ue receſſus
Pandere, quos præſens non aperire queo.
Fortunata fui, non formæ nomine tantùm, Gen. 29.
Iſacidæ ſed quòd ſit Lia chara minus.
Quæ tamen eſt partu plus fortunata frequenti, Gen. 30.
Namque ter enixa eſt me prior, atque quater.
Id quod ſæpe fuit magni mihi cauſa doloris,
Et fecit precibus ſollicitare Deum.
Sed longum dempſit luctum mihi natus Ioſeph,
Forma atque ingenij dexteritate, placens.
Vnus præ reliquis oblectat vtrumque parentem,
Deliciumq́ue patris, deliciumq́ue meum. Geneſ. 37.
Eximias etenim dotes ſpectamus in illo, Eccle. 49.
Quæ fore conſpicuum, ſatq́ue ſuperq́ue docent. Actor. 7.
Vt natu minimus, deamatur vtrique parenti,
Hac cauſa eſt odio fratribus ille ſuis.
Spero tamen fore, vt emineat præ fratribus ille,
Et columen generis credo decusq́ue fore.
O mihi tam longæ contingant tempora vitæ,
Vt videam nati nomen, in aſtra vehi.
Nec compellabit me nomine matris Ioſeph
Solus, vti ſpero, ſit modo vita ſuper.

Nam grauor optato iamdudum pondere ventrem,
Quo, faxint Superi, corpore salua leuer.
Mærore & fletu florens mihi transijt ætas,
Quod proles sterili sit mihi nulla data.
Denuo quos instans partus mihi sustulit omnes;
Is tamen est curæ maxima causa meæ.
Quandoquidem tristem casum præsaga minatur
Mens mihi; quæ fallax sit precor atque leuis.
" *Quod statuit Numen fieri mortalibus ægris,*
" *Ferre decet tacitè, nec reuocare licet.*
Eueniat, Superi quod decreuêre beati,
In quorum manibus vitaq́; morsq́; mea est.
Gen. 32. *Porrò satis fœlix iter huc venientibus, atque*
Euentu tristi contigit ire carens.
Gen. 33. *Nam Leuir occurrens Iacobo, fletibus ora*
Tinxit, & amplexans oscula blanda dedit.
Et cum muneribus coniunx captaret amorem
Offensi, cepit munera nulla Leuir.
Gen. 35. *Nunc igitur Luzæ degentibus omnia cedunt*
Prospera, nec vitæ quod petit vsus, abest.
Gen. 36. *Nam fœtura gregis crescit numerosa quotannis,*
Pascua vix nostro sunt satis ampla gregi.
Gen. 34. *Interea nostræ Dinæ vis facta, probrumq́;,*
Mæroris nobis causa fuêre grauis.
Quod fœdum facinus fratres sunt acriter vlti,
Nam vis hæc multa cæde piata fuit.
Spectatum exierat nymphas ea fortè profanas,
Spectandi metuens nulla pericla sibi.

Qua

Qua visa, Sichemus flammis exarsit amoris,
Diues opum Sichemus, stemmatibusq́; potens:
Hic igitur Dinam raptam vitiauit, & ægram
Leniјt, vxorem ducere sæpè rogans.
Munera promisit pater eius magna daturum,
Si Sichemo tantùm nubere Dina velit.
Quin & pollicitis fratres tentauit, vt ambos
Vnanimes tædæ iure coïre sinant.
Cui responderunt, haud nubere posse sororem
Incircumciso, nam fore grande nefas.
Si circumcisus generis sit quisque virilis,
Connubij licitum fœdus vtrimque fore.
Quam legẽ Heuæi cùm ciues quisque probassent,
Est præcisa cutis cuique superuacua.
Tertia cùm verò tenebras lux orta fugasset,
Intolerabilior qua solet esse dolor;
Germani fratres, Simeon, Leuiq́;, sororis
Stuprum vlciscuntur, non sine strage virûm.
Omnes namque viros valida virtute trucidant,
Nam deerant vires vnicuique suæ.
His reliqui fratres se iungunt agmine facto,
Et rapiunt, tota quidquid in vrbe fuit.
Atque reducturi Dinam, cum diuite præda,
Sunt vlti, magna non sine laude, probrum.
Grandæuæ quoque nutricis, fidæq́; ministræ, Gen. 35.
Non minimum luctum fata tulère mihi.
Sic varios casus in vita ferre necesse est, „
Et si quid læti est, tristia plura premunt. „

Tangimur interdum patriæ telluris amore,
Atque tui, genitor dulcis, ego atque soror.
Hunc tamen attenuat paulatim coniugis, atque
Crescentis nobis posteritatis amor.
Se tibi commendant coniunx, natiq́ꝫ, sororq́ꝫ,
Optantes, votis cedere cuncta tuis.
Nos facere ô certas rerum dignêre tuarum;
Hoc facies, si nos diligis, atque Vale.
Luzæ.

Argumentum nonæ Epistolæ.

Luctificas tedas socero, casusq́ꝫ virorum
Dum queritur, Selæ nubere posse rogat.

THAMAR IVDÆ.

F*Ortunæ lætata meæ sum nomine sæpe,*
Quod mihi contigeris, vir generose, socer.
Gen. 22. *Nam Tharides proauus tuus est, pietate fideq́ꝫ*
Eccle.44. *Tam latis celeber, conspicuusq́ꝫ locis:*
Hebr. 11. *Nomen vt Heroïs non deletura sit ætas*
Vlla, sed æternum postera sæcla canent.
Gen. 21. *Hoc dignus genitore satus fuit Isacus ille,*
Quo tandem nato risit vterque parens.
Idq́ꝫ adeò meritò, quoniam marcebat vterque
Iam senio, nec spes posteritatis erat.
Infantem lactauit anus, tamen vbere pleno,
Cui partus expers tota iuuenta fuit.
Gen. 25. 29. 30. *Hinc socer est genitus, duodena prole beatus,*
Prædiues pecoris, diuite patre satus.

Spectatos opibus reddit pietatis amantes, „
Et fama celebres, tollit in astra Deus. „
Laudibus hos tollent Heroas ad astra nepotes,
Dum petet Hesperias Phœbus Eous aquas.
Namque affatus eos perhibetur sæpius esse,
Mortalis generis, cælicolûmq; parens.
Atque propagandam stirpem promisit in æuum, Gen. 22.
Quæ rutulis stellis plus numerosa foret.
Nactam igitur socerum prognatum Heroïbus illis,
Fælicem poterat dicere quisque nurum.
Maiorum similis si natus vterque fuisset, Genes.38.
Her Onanq; tui, queis ego nupta fui.
Heu nihil est omni nobis ex parte beatum, „
Et magnis geniti, degenerare solent. „
Nam qui tam claris fuerant maioribus orti,
Illorum gressus non studuêre sequi.
Numine sed læso, perierunt ambo, luentes
Pœnas commeritas impietate sua.
Quid memorem luctus amborum nomine obortos,
Quos sensi sterilis, nupta bis, vsque manens?
Gaudia si quæ percepi florentibus annis,
Corrupit sterilis tota iuuenta mea.
Her primogeniti thalamo dignata, videbar
Fælix non minimo iure futura mihi.
Sed sceleris pœnas dum soluit degener, orbæ
Relliquit luctum, pignora nulla tamen.
Pignora, quæq; ferant viduæ solamina matri,
Aspectuq; leuent tristia fata patris.

Lugentem miserans, iußisti duceret Onan
Deut. 25. *Me, fratri soboles ne sua nulla foret.*
At spretis iußisq; patris, sobolisq; creandæ
Securus fecit quæ memorare pudet.
Haud impunè tamen scelus hoc tulit impius ille,
Nam rapuit flagrans ira Tonantis eum.
Tunc igitur mihi causa fuit iustißima luctus,
Tunc madui lacrymis, bis viduata viro.
Fata nurus miserans consolabare dolentem,
Spe sobolis sortem me tolerare iubens.
Et patris idcirco iußisti ad tecta reuerti,
Nupturam Selæ, cùm sat adultus erit.
Maturus vinclo iamdudum est ille iugali,
Nec tamen, vt ducat me sibi, trador ei.
Non queror innuptæ labi mihi tempora vitæ,
Et tota viduo nocte iacere toro:
Sed mihi spem nullam potiundi prole relinqui,
Quæ desiderij summa caputq; mei est.
Nequitia prohibet, pietas violare pudorem,
Quem Selæ integrum stat retinere meo.
Tam claræ stirpis curæ est mihi sola propago,
Quam Deus haud dubiè diligit atque fouet.
Atq; vtinam votis non frauder tempus in omne,
O vtinam genitrix prole beata ferar.
Si pia sunt mea vota, Deus (spero) audiet, atque
Infœcundum vterum non sinet esse diu.
Si tibi sum comperta nurus, proba fidaq; semper,
Votis quæso meis fac satis, atque Vale.

Argu-

Argumentum decimæ Epiſtolæ.

In Peluſiaco Simeonem carcere vinclis
Conſtringi, memorans cætera fata, dolet.

LIA SIMEONI.

EX terra venit hæc Chananitide littera nate,
Vt tibi ſit luctus nuncia fida mei.
Hac tibi, quo turbet præcordia noſtra dolore
Fama tui caſus, ſignificare libet.
Sæpe mihi placui fœcundi nomine ventris,
Nate puerperij cauſa ſecunda mei.
Nati namque mares ſunt ſex me matre creati, Gen. 29.
Viribus inſignes, ingenioq́ pares. 30.
Hac ego parte fui plus fortunata ſorore,
Sit licet illa patri plus adamata tuo.
Illa ſibi placuit præſtantis nomine formæ, Gen. 29.
Eius & Iſacides arſit amore magis.
Aſt ego ſum fœlix numeroſi nomine partus,
Sæpius & matris nomine digna feror.
Inuidiæ quæ magna meæ fuit anſa ſorori,
Atque ideo genitrix ſerò vocata fuit.
Nec mihi tot nati gaudendi cauſa fuère
Sola, ſed eſt illis & ſua Dina ſoror.
Heu ſubito caſu vitiantur gaudia noſtra, "
Et mærore ſtupet, qui modò lætus erat. "
Quid repetam luctum, quem raptæ nomine Dinæ Gen. 34.
Perturbata tuli cum genitore tuo?
Nam viſam Sichemus (clam nobis tecta reliquit)
Abduxit ſecum, virginis igne flagrans.

Atque tuæ ſoluit (res eſt tibi nota) ſorori
Virgineam Zonam, ducere poſſe ratus.
Cuius flagitij meritas cum ſanguine pœnas
Soluit, & vrbs vobis ſplendida præda fuit.
Tanta fuit natæ raptus mihi cauſa doloris,
Et madui toties hac ratione genas:
Vt, ſi ſublata fatis orbata fuiſſem,
Non grauior poſsit me cruciare dolor.
Hunc luctum malè ſopitum nouus excipit, illo
Non minùs excrucias méque patremq́ tuum.
Gen. 35. *Nam partu cùm vix eſſet germana leuata,*
E vita exceſsit, victa dolore graui.
Gen. 37. *Inſuper amiſſus (quo caſu neſcio) Ioſeph,*
Nunquam non patri cauſa doloris erit.
Atque adeò veterem fecit crudeſcere luctum,
Vt nullus fuerit, qui fuit antè, dolor.
Nam tunica patri monſtrata ſanguine tincta,
Lamenti exorti non modus vllus erat.
Admiſit genitor luctus, ſolamina nulla,
Audiuit gemitus nóxque diéſque patris.
Gen. 41. 42. *Poſt hæc longa fames terras has occupat omnes,*
Act. 7. *Omnia conſumens, duráque fata minans.*
Turbauêre domum noſtram iſta dolore frequenti,
Imò hic angit adhuc pectora noſtra dolor.
Gen. 42. *Sed quòd captiuus, Pharijs tenearis in oris,*
Diſcrutior curis, ſollicitórque metu.
Fratribus haud ſine frumento redeuntibus iſtinc,
Aduectæ Cereris nomine, læta fui.

At poſt-

At postquam Pelusiaco te carcere claudi
Narrârunt fratres, exanimata fui.
Expertem faciunt curæ somnique cibique,
Dum metuo nato tristia fata meo.
Nunc venit in mentē causa hæc, nūc illa vicissim,
Cur teneant natum vincula dura meum.
Forsitan enormi læsisti crimine Numen,
Quæ dandi pœnas causa futura tibi est.
Ah vanum Superi faxint, quod mente voluto;
Non cadit in natum mens scelerata meum.
Quidquid id est, non spem reditus, certæq; salutis
Pono tuæ, quoniam crimine (credo) vacas.
Nec minor affligit luctus præcordia patris,
Cùm sit amans sobolis, non genitrice minus.
Sed minimum natu spem deliciásque senectæ,
Haud vllis monitis tam procul ire sinit.
Defectus tamen annonæ dimittere coget, Gen. 43.
Nam sterilis frugum permanet omnis ager.
Illius aduentu soluentur vincula, quæ te
Strictum dura tenent, mens nisi vana mihi est.
Præpositus terræ, vt fratres retulêre reuersi, Gen. 42.
Exploratores vos putat esse vagos.
Teque ideo vinclis constrinxit carcere in atro
Seruandum, donec sit sibi nota fides.
Nam fratrum minimum patria tellure relictum,
Vt sit certa fides vestra, videre cupit.
Interea nos sollicitos dolor anxius vret,
Pro te fusuros vota precésque Deo.

Qui vestrum proauum semper dilexit, auumq́;
Quóque estis seni bis genitore sati.
Sospitem is illorum te (spero) reducet amore,
Carceris ex atri, quo retinere, specu.
Hoc faciat Deus esse ratum, qui sæpe periclis
Eripuit patrem, munificeq́; beat.
Is quoque nos reducem faciat te cernere saluum,
Et recreet plausu pectora mœsta nouo.
Hoc fore confido, nisi me spes lactat inanis;
Vt valeant qui te progenuêre, Vale.
Luzæ.

Argumentum vndecimæ Epistolæ.

Sollicitæ profugum Mosen hæc littera matris,
Vt iuga captiuis demat, adesse rogat.

IOCHABED MOSI.

SCripta manu tremula venit hæc, charissime (Moses,
Ex Pelusiaco littera missa solo.
Hac narrare tibi, quæ coram dicere malim,
Compellor, quam nos tristia fata premant.
Multis nominibus charus mihi nate fuisti,
Sumq́; tui causa visa beata mihi.
Altius has causas memorare ab origine vitæ
Non graue erit, sit mens ægra dolore licet.
Exod. 2. *Regia iussa mares pueros, septemplice Nilo*
Act. 7. Hebr. 11. *Perdere mandabant, qui meruêre nihil.*
His vetuit pietas materna audire, tuiq́;
Ingenij specimen, tum satis ore micans.

Te mi-

Te mihi per ſpacium licuit ſeruare trimeſtre,
Interea furtum clam Pharaone fuit.
Terruit edictum me pòſt crudele tyranni,
Ne pariter tecum nos mala dura premant.
Te celare quidem volui tam pignus amatum,
Sed me cogebant tollere iuſſa moram.
Clauſum igitur tenuit fiſcella bitumine firma,
Et pice, ne natum læderet vnda meum.
Naſcitur in Nilo teneræ vis magna papyri,
In qua te poſui, multa precata Deum.
Obſeruat ſoror in ripa, quæ fata manerent,
Quæ pietas non me cernere paſſa fuit.
Exijt, vt corpus luſtraret, Regia nata,
In ſeptemgemino flumine, more ſuo.
Fiſcellam poſitam fluuiali margine, fortè
(Nil temerè factum ſit licet) illa videt.
Quæ ferat hãc, mittit famulã, atq; inſpectat aper-
Inuenti pueri ſors miſeranda mouet. (tam;
Eſt, ait, Hebræus puer hic, quem perdere iuſſit
Atque alios, quo ſum Rege parente ſata.
In Pharia terra non eſt formoſior iſto
Natus; ebur vincit, Sithoniaſq; niues.
Vis, inquit ſoror, accerſam, quæ nutriat iſtum,
Hebræam? dictis annuit illa ſtatim.
Adductæ ergo mihi tollendi munia dantur,
Redditur & merces pòſt ſatis ampla mihi.
Te non expoſui cruciatu pectoris abſque,
Sed me ſolata eſt prouida cura DEI.

Nam

Nam velut ex ſeſe prognatum filia Regis
Dilexit, multis eripuitq́ malis.
Nam ſunt intentata tibi diſcrimina multa,
Quæ puero poterant accelerare necem.
Sed Regis tibi nata fuit tutela fidelis,
Eripiens, fuerant quæ tibi ſtructa, malis.
In te vidit enim virtutum ſemina multa,
Quæ teſtabantur clarum aliquando fore.
Optima quæq́ igitur de te ſperare coacta eſt,
Nec ſpes, quam fouit, magna fefellit eam.
AEthiopum nam cùm vires mala multa patraret
AEgypto, & Pharijs ſpes labefacta foret;
Seruaſti patriam ingratã, immemoremq́ ſalutis,
Quam per te cepit, libera facta malis.
Fecit enim liuor (qui claros carpere ſueuit)
Ceperit vt profugum te Madiena libens.
Claræ illic nymphæ tædis thalamoq́ potitum,
Paſcere te dicunt nunc Raguelis oues.
Et opibus Raguel clarus, diuûmq́ ſacerdos,
Cuius in vxorem filia ducta tibi eſt.
Ex qua nata tibi ſunt maſcula pignora bina,
Cernere quæ dulci cum genitrice velim.
Gaudeo fortunam profugo aſpirare, tibiq́
Ex voto placidè cedere quæq́ tuo.
At velut oblitus noſtri, dum tempora ducis
Iſtic ſecurus, quæ gemibunda traho:
Mille malis premitur iamdudum clara propago
Iſacidûm, lateres dum ſine fine coquit.

Dum

Dum quoque nodosis loris, rigidisq́ flagellis
Ceditur indignis (heu mala dira) modis.
Te reuocet pietas præstanda parentibus, atque
Oppreßi populi sors miseranda tui.
Namque Dei populū Pharao quia crescere cernit,
Ne nimis augescat præualeatq́, timet.
Quocirca rigidis tractat nos legibus, atque
Vulnificis flagris, seruitioq́ premit.
Stellatus querulis reboat clamoribus æther,
Astra petit gemitus, perpetuæq́ preces:
Nos Rector Superûm miseratus, vt ocyus ex his
Auferat erumnis, seruitijq́ iugo.
Affligi à Phario popularem ferre nequibas, Exo. 2.
Vimq́ grauem oppresso pellere promptus eras.
Securus fueras, popularis amore, pericli;
Tam longæ exorta est hinc tibi causa fugæ.
At tibi nunc grauior causa est succurrere nobis,
Vt nobis adimas tam graue ferre iugum.
Exigit hoc in nos pietas, inuictaq́ virtus,
Hinc tibi post cineres fama perennis erit.
Non octo lustris mihi vultus cernere nati
Dilecti licuit, colloquioq́ frui.
Nunc igitur tua matris amor præcordia flectat,
Vt redeas ad nos, suppetiasq́ feras.
Non Aaron, non nata mihi solatia præbet,
Aduentus Mosis quanta daturus erat.
Eia ad nos reditum accelera, post omnia ponens,
Allaturus opem, præsidiumq́ tuis.

Suspi-

Suspirant clamantq́; vnum te vota tuorum,
In te spem fixam quisque tribulis habet.
Concessit fatis Pharao, quo Rege relictis
Nobis fugisti, ne morerére, timens.
Cædis, amore tui populi tibi iure patratæ,
Quam pendas pœnam, nulla timenda tibi.
Quod te seruauit per multa pericula Numen,
Nunc quoque seruabit, constituetq́; ducem.
Nam mens in tacito præsagit pectore, per te
Effugium nobis, non aliunde, fore.
Sapien.9. *Consilia æterni queat explorare Tonantis*
" *Nemo, sed euentu sæpe docemur ea.*
Quò te fata vocant, fidenti pectore tende;
Vt nos eripias, sit mora lenta procul.
Quãdo erit, vt videam dulcem natumq́; nurumq́;,
Quæq́; vxor peperit pignora bina tibi?
Quando seruitium dabit hoc euadere nobis
Te ductore (vt nos spes fouet alma) Deus?
Non foret è viuis mihi tunc excedere durum,
Votorum compos denique facta forem.
Hoc precibus concede tuæ genitricis, vt ad nos
Cum natis properes, coniugeq́; absque mora.
Ex Ramesses.

Argumentum duodecimæ Epistolæ.

Vt benefacta refert in Mosen filia Regis,
Sic rogat, vt gratus sit, referatque vices.

THER-

THERMVTHIS MOSI.

EXterra Pharia Moses tibi mitto salutem,
Quam tibi scis à me sæpius esse datam.
Quapropter me sæpe capit miratio magna,
Te seruatricis non meminisse tuæ.
Si quot te meritis cumulaui, corde volutes,
Prima foret meritis reddere cura vicem.
Quandoquidem debes vni mihi munera vitæ,
Spirandi per me copia facta tibi est.
Nam cùm Niliacas esses abiectus in vndas, Exod. 2.
Seruari pueros Rege vetante mares;
Fiscellæ fueras inclusus, non tamen illa
Seruasset, si non ipsa misertaforem.
Te pietas mea magnificè curauit alendum,
Eduxi tanquam me genitrice satum.
Ingenuum puerum deceat quæ scire, docendum Actor. 7.
Curaui; vsque adeò tu mihi charus eras.
Elegi Pharios, quorum sapientia præstat,
Qui doceant, quæ te pòst decorare queant.
Artes, Regali discendas sanguine natis,
Vt doceare, fuit sedula cura mihi.
Quin & adoptaui mihi te, hæredemq́; futurum
Te rata, dilexi, semper ad alta vehens.
Nam dotes in te egregias persæpe notaui,
Quæ mihi tanti in te fomes amoris erant.
His stimulata mihi de te fiducia creuit,
Nempe fore, vt nobis luxq́; decusq́; fores.

Vtq; reluceret virtus tua grandibus ausis,
Quæ premeret, nobis qui mala cunque volunt.
Id quod in AEthiopas, nobis qui bella ciebant,
Sat declarasti, fortis in arma ruens.
Nam successu hostes tumidi, spolijsq; feroces,
Dira minabantur, multaq; damna dabant.
At nostris flexus precibus, magna arte superbos
Strauisti AEthiopas non sine clade graui.
Hac Tharbis virtute tua commota, flagrare
(Vt fama didici) cœpit amore tui.
Coniugijq; sibi petijt te fœdere iungi,
AEthiopum dignum sceptra tenere rata.
Quæ mihi gaudendi fuerat iustißima causa,
Certaq;, quæ foui, sum rata vota fore.
" *Verùm liuor iners, hominum spes reddit inanes,*
" *Et sæpe inuertit, quæ meditere diu.*
Exod. 2. *Fecit is, vt claræ Madienes mœnia cursu*
Cùm peteres profugo, spes mea vana foret.
Vtq; istic, velut oblitus nostri atque tuorum,
Inter oues vitæ tempora tanta teras.
Lanigeri pecoris non te decet esse magistrum,
Viribus inuictum, consilijsq; grauem.
Ducere dignus eras Regali sanguine cretam,
Et regni valida sceptra tenere manu.
Hebr. 11. *Hic poteras amplis spectatus honoribus esse,*
Dilectus Regi Principibusq; simul.
Te tamen inter oues, his spretis, ducere vitam
Plus iuuat, oblitum me patriamq; tuam.

Heu

Heu votis nunc me frustratam conspicor esse,
Nam peperit coniunx pignora bina tibi.
Perpetuas, metuo, ne sedes fixeris istic,
Aut nobis parias grande aliquando malum.
Si sedes istic statuisti figere, nobis
Heu tuus aspectus semper ademptus erit.
At si quando fores vindex, Phariæq; ruinæ
Autor, me cladem cernere fata vetent.
Fata reciderunt genitori stamina nostro,
Suntq; nouo Regi sceptra gerenda data.
Qui tibi cognatum populum seruiliter vrget, Exo.2.3.
Et mala ferre viris non patienda iubet.
Nam crescentis in immensum formidine gentis Deut.10.
Hebrææ, regno pertimet atque sibi;
Ne quando caput attollant, rerumq; potiti
Subijciant dominos, seruitioq; premant.
Hac motus ratione, tuos diuexat Hebræos,
Cædit, vti seruos, atque labore necat.
Assidui resonant gemitus; miseratio nulla
Insontis populi regia corda mouet.
Quodq; sit inprimis mirandum, mole laborum
Vincitur haud vlla, diminuíve potest.
Imò fit ærumnis numerosior, inq; valescit;
Quod fieri vestro non queat absque Deo.
Hinc in nos, metuo, ne vindex arma capessas,
Nosq; à te maneant maxima fortè mala.
Cur omen venit in mentem tam triste? meúsne
Ausurus Moses tale sit ergo nefas!

In te non cadit impietas (existimo) tanta,
Vt patriam per te tanta ruina premat.
Si redamas, vitam cui debes clare vir, à te
Telluri Pharia nulla pericla manent.
Quod te seruatæ per vitæ munera, & illum,
Quo te dilexi semper amore, rogo.
Nec iam grandæuæ pigeat rescribere, quæ sit
Mens tibi, vti siam certior, atque Vale.
Memphi.

Argumentum decimætertiæ Epistolæ.

Quam queritur lepram lingua meruisse procace,
Per fratrem fiat purificata, rogat.

MARIA MOSI.

SCribere me vehemẽs pudor, & mẽs læua vetabat,
Qua læsi frater te venerande mihi.
Num. 12. *At contra, iussère dolor naturaq́ mitis,*
Hæc innata tibi, me crucians'q́ dolor.
Hic fœdum scelus agnoscit, veniamq́ tabellis
Poscere mittendis compulit absque mora.
Heu mentis vacuam, quæ me stimulabat Erinnys,
Cùm tibi detraherem, turpia probra vomens.
Si non Tartareïs stimulis agitata fuissem,
Lingua in tam mitem parcius vsa forem.
Certè debuerant monuisse tot edita signa,
Quorum est pars oculis maxima visa meis.
Hæc poterant quamuis stupidam crassamq́ docere,
Te nobis, iussu Numinis, esse ducem.

Et rata

Et rata habere Deum, quæcunque facísve iubésve, Eccl. 45.
Quod probat & pietas, & tua nota fides.
Ergò tibi quisquis væsana mente resistit,
Obstrepit, obgannit, scommatibúsve petit: Exod. 16.
In Numen torquet mordacis spicula linguæ,
Exitijq́; miser causa fit ipse sui.
Quam tibi duxisti, coniux est ducta Tonantis Exod. 2.
Haud dubiè iussu, sed mihi causa latet. & 18.
Sit licet haud nostri generis, nec sanguine iuncta,
Est tibi Cælestûm Numine nupta tamen.
Quæ spectata fui, populi fortasse cachinnis Exod. 12.
Explodar, vulgi fabula facta leuis.
Vt quæ legifero Mosi me cassa cerebro
AEquarim, Superi quem statuêre ducem.
Sic plumbum argento, vitrum cõponere gemmis,
Auroq́; æs amens assimilare scio.
Quæ prius emota non vidi mente, videre
Nunc tandem, sed non absque pudore, datur.
Docta malis didici, quot sæpe sit ansa malorum,
Nolens Principibus parcere lingua procax.
Præter enim læsam famam, clarissima per te
Quæ fuit, & corpus candicat omne lepra.
Omnibus hæc mea erit documẽto lepra proteruis,
Ne carpant lingua liberiore Duces.
Sed se submittant, venerentur, iussa facessant,
Exhibeantq́; illis, quod meruêre, decus.
Me miseram, dum despicio te frater amande,
Dignam pœna premit morte ferenda minùs.

Non ſuggillaui petulantis verbere linguæ
Te, ſed cuius obis munia rite, Deum.
Fraterni decuit ſtudioſam nominis eſſe,
Quod tamen auſa fui rodere dente leuis.
Ah quò me rapuit mentis furor? ah pudor vrit
(Poſtquam mens rediјt) nõ minus, atque dolor.
Nec factu melius quidquam ſcio, quàm rogitare
Offenſum fratrem, flectat vt ille DEVM.
Exod. 17. *Non armis Amalec viciſti in vertice montis,*
Sed precibus, flectens ſupplice voce Deum.
Nam donec ſublata forent tua brachia cœlo,
Deſtituebatur viribus ille ſuis.
Atque fugam tandem fuit accelerare coactus,
Vt ſibi ſalua foret vita propinqua neci.
Quanto namque Deus te complectatur amore,
Exod. 33. *Alloquijs docuit ſatq; ſuperq; ſuis.*
Num. 12. *Sicut enim vulgo compellat amicus amicum,*
Sic eſt affatus te quoque ſæpe Deus.
" *Ille animi præſtans ſit oportet, labis & expers,*
" *Colloquio dignus qui queat eſſe Dei.*
Exod. 34. *Acceptis tabulis micuit manifeſta Tonantis*
2. Cor. 3. *Gloria, qui tecum in monte locutus erat.*
Nam, niſi velatam faciem, qui cernere poſsit,
Nemo fuit, radijs tam fuit illa micans.
Hæc omnem populum potuerunt ſigna docere,
Eccle. 45. *Dilectus quanta ſis pietate Deo.*
Vt taceam, coram Phario quæ monſtra tyranno
Edideris, nunquam quanta fuère prius.

In du-

In dubium, nisi mentis inops, hæc nemo vocare,
Esse tibi dextro facta Tonante, queat.
Ergo tuæ licet indignæ miserere sororis,
Quam cruciat dolor hinc corporis; inde pudor.
Quemq́; nimis læsi petulanter flecte Tonantem,
Nam non sum precibus flectere digna Deum.
Te rogitante precor, cruciatu liberer isto
Fœdiq́; opprobrij, carniuoræq́; lepræ.
AEgrè membra traho, digitis trepidantibus ægrè
Est hæc (vt cernis) littera scripta mihi.
Quæ patior, meruisse scio, linguæq́; procacis
Crimine membra mihi sunt magis alba niue. Num. 12.
Hæc mihi, dum viuam, documento lepra futura est,
Atque alijs, linguæ frena tenere docens: Deut. 24.
Vt Ducibus tentent nũquam obtrectare verendis, 1. Petr. 2.
Ne linguæ pœnas, quas meruère, luant.
Namque Dei iussis obsistit, quisquis in illos
Effrænis linguæ scommata fœda iacit. Rom. 13.
Fœmineus sexus, scis, quàm sit pronior omne
In vitium, nec se sat cohibere queat.
Ergo per officium, quo te seruauit ab vndis Exod. 2.
Mater, egoq́; soror, cùm periturus eras:
Afflictam frater miseratus quæso, Tonantem
Germanæ veniam posce, diuq́; Vale.

Argumentum decimæquartæ Epistolæ.

Ductorem Isacidum, capta Hiericunte precatur,
Ne sibi non reddat post benefacta vices.

RAHAB IOSVE.

Hiericunte venit, Dux inclyte, littera missa,
Quã legis, ingenti non bene scripta metu.
Iosue 2. Hebræi siquidem populi celeberrima fama,
Territat has terras, & trepidare facit.
Exod. 14. Duxit namque Deus per Erythræum mare siccis
Vos pedibus, præbens per vada sicca gradum.
At Pharium, qui vos oppresserat antè, tyrãnum,
Et comites refluis perdere iussit aquis.
Exod. 16. Vt taceam, lustris quòd vos nutriuerit octo
Num. 20. Saxigenis vndis, æthereoq́; cibo.
Deut. 8. Quòd vestes vestræ nullo minuantur ab vsu,
Psal. 104. Et tentet morbi corpora vestra nihil.
Tale nihil possunt, colimus quæ numina stulti,
Psal. 113. Artificis cùm sint numina facta manu.
Num. 21. Quin & Amorrhæi tepefacta cruore Sehonis,
Atque Ogi tumidi, lancea vestra fuit.
Orabas fieri tibi peruia regna Sehonis,
Immunis damni quippe futurus erat.
Attamen his precibus despectis, bella ciere,
Armatáq́; manu vos premere ausus erat:
Ergo dum non cedit iter, se perdit, & omne
Quod tenuit regnum, sanguine facta luens.
Illius exemplo non factus cautior Ogus,
Dum mala dat vobis, in sua fata ruit.
Deut. 3. Mole Gigantæi turgebat corporis Ogus,
Se nullo vinci robore posse ratus.

Territus

Territus immani fugiebat corpore quiſque,
Vt fugit à viſo cerua leone tremens.
Aſt ea non moles protexit corporis illum,
Non armata manus, terrificæq́; minæ.
Illico fracta cadunt aduerſo cuncta Tonante, „
Hunc contra nil vis, armáque nulla queunt. „
Quid reliquos memorem Reges ditione potentes?
Perculit extemplò quos tua fama metu.
Et tibi ceſſerunt ſceptrum regale volentes,
Te veriti, atque tuum, quo facis illa, Deum.
Quódque magis miror, palmis orante ſupinis
Moſe, ferunt hoſtem corripuiſſe fugam. Exod. 17.
Vnde Deus quanto vos complectatur amore,
Quàm vobis facilis ſit, placidúſque, liquet. Deut. 4.
Hæc ſatis oſtendunt, non vos pugnare, Tonantis
Auſpicijs caſſos, atque fauore Dei.
Hæc ego perpendens, nec non præſaga malorum,
Quæ noſtros ciues indubitata manent;
Quos huc miſiſti ſpectatum mœnia noſtra, Ioſue 2.
Accepi tectis officioſa meis. Hebr. 11.
Ceu notos, & amicitiæ mihi fœdere iunctos
Tractaui, placidis gratificata modis.
Cúmque pericla viris à Rege inſtare viderem,
(Miſit enim, vt quærant arripiántque tuos)
Ad noſtros dixi miſsis à Rege penates,
Claudendis portis hinc abijſſe viros.
Quorum credulitas me fecit ſtulta, viróſque
Huc à te miſſos, nulla timere mala.

Nam cùm nox picea tegeret caligine terras,
Sunt insectati credula turba tuos.
Quos occultatos penetralia nostra tegebant,
Perdendos, technis his sine, morte truci.
Egressi postquam sunt vrbis mœnia nostræ,
Frustra quæsitos prendere posse rati;
Exploratores à te Dux maxime missos
Oraui, vestrum testificata Deum,
Vt memores in se fidei factæq; salutis,
Immunes seruent meq; meosq; mali.
Excidium patriæ ne quos mihi sanguine iunctos
Opprimat, ãt signo nos monuisse velint.
Quo viso, cũ capta vrbs est, matremq́; patrémque,
Méque & germanos seruet Hebræa manus.
Et quia coccineum per funem mœnibus altis
Demissos monui, quæ facienda forent,
(Nempè petant montes per amica silentia noctis,
Ipsis post triduum nulla pericla fore)
Quæ mihi iurauêre viri, sint fœdera firma,
Cùm valida capies Hiericunta manu.
Æquabisq; solo turres, & templa, domosq́;,
Et ciuis nullus non cadet ense tuo.
Purpureus tunc funiculus pro teste salutis
Sit pactæ, fidei te moneátque datæ.
Vtq; opera saluis exploratoribus illis
Contigit esse mea, seruer & ipsa precor.
Et mea salua domus maneat, substãtiáque omnis,
Hiericuntis enim (sat scio) victor eris.

Tutelæ

Tutelæ fideiq́ tuæ me dedo meosq́,
Rite Dei vèstri iussa parata sequi.
Namque Deos patrios, quos sum venerata, perosa
Respuo, fallaces dæmonas esse videns.
Supplicis ergo preces non auersabere, sed me
Seruabis facilis (spero) domumq́ meam.
Sic Mosen referas pietate & fortibus armis, Deut. 31.
Vt præstes, quæ sunt perficienda tibi. Iosue 1.
Auspice cuncta Deo sic cedant prospera ductor, Eccle. 46.
Quæ nunc bella geris fortiter, atque Vale.
Hiericunte.

Argumentum decimæquintæ Epistolæ.

Commemorat varios casus, rogitatque Boozum,
Vt fidæ nurui fida sit ara suæ.

NOEMI BOOZO.

Littera missa tibi venit ex Moabitide terra,
Præ consanguineis chare Booze mihi.
Sæpius integritas in te comperta, fidesq́
Scribere iusserunt istud epistolium.
Quo iuuat absenti vigilantes pandere curas,
Et tecum paucis, qua licet arte, loqui.
Magna fames nostris in terris compulit orta, Ruth. 1.
Mutare huc sedes meq́ virúmque meum.
Hic igitur visum nobis est figere sedes,
Donec dira fames illa remissa foret.
Nobis hic fortuna prius tolerabilis, eheu
Illico mutata est, facta inimica mihi.

Coniuge

Coniuge namque meo me mors viduauit amato,
Cum mihi lapsa forent tempora pauca fugæ.
Cuius in exilio tanti mihi causa doloris
Mors fuit, vt nequeant pandere scripta tibi.
Quem tamen extenuauerunt mea pignora chara,
Quasq́, velut natas, diligo iure nurus.
Sed mihi bis quinis post hæc labentibus annis,
Ambobus natis sum viduata meis.
Sic igitur veteris renouata est causa doloris,
" *Sic didici firmi rebus inesse nihil.*
Horum dempta obitu mihi sunt solatia cuncta,
Quæ viduæ matri viuus vterque dabat.
Prole sed haud vlla, quia decessere relicta,
Me magis vrebat posteritatis amor.
Nunc igitur Maram quiuis me nomine dicat,
Quam Naami quondam dixit vterque parẽs.
Nam nil iucundi, nil pulchri sentio quidquam,
Sed toti vitæ nil nisi amaror inest.
Casibus his pressæ tantis solamina præbent
Hac in gente nurus Ruthaq́ & Orpha meæ.
Non fuit exilium valdè mihi ferre molestum,
Dum fruerer natis, coniugioq́ viri.
At Bethles desiderium nunc crescit in horas,
Namq; nurus præter, quod iuuet, omne deest,
Hæ me solantur mæstam, perstantq́ fideles,
Hæ, quocunque feram me, comitare volunt.
Vna tamen plus fida manet mihi candida Ruthe,
Dilectam non vult linquere sola socrum.

Quæ me cunque manet ſors, expectare parata eſt,
Hæc ſocrui patriam poſthabet, atque ſuis.
Orpha meis parens monitis, ad tecta parentis,
Ne careat natis, eſt reditura ſui.
Et quia iamdudum (ceu fando diſco) remittit
Seſe longa fames, fertilitaſq; redit;
Ad patriam ſtatui tellurem tendere greſſum,
Arua vt poſſideam quantulacunque mea.
At Ruthes viduæ ſors eſt mihi iure dolenda,
Nam nulla eſt ſoboles de Mahalone ſata.
Quare eius fundum cognatus, neſcio quiſnam
(Quod iuris dictat regula nulla) tenet.
Quodq; meum cruciat pectus maiore dolore,
Haud vnquam Ruthe nubere quibit ei.
Eſſe nurum fateor Moabitide ſtirpe creatam,
Eius at excellens eſt pudor atque fides.
Deteſtata deos patrios, veneratur, adorat,
Atque colit noſtrum ſupplice mente Deum.
Hæ dotes dignam fecerunt nubere nato,
Et lætor talis nomine ſæpe nurus.
Per tibi iunctũ igitur conſanguinitate maritum, Ruth 2.
Per generis noſtri vincula firma rogo:
Conſueta in noſtram ſortemq; domumq; labãtem
Te tangat pietas ſuppetiaſq; veni.
Rebus in afflictis reſtas mihi ſolus aſylum,
Anchora tu noſtræ (ſpero) ſalutis eris.
Ducere ſi Ruthen renuit cognatus, agelli
Poſſeſſor noſtri, iuſtáve cauſa mouet. Deut. 25.

Te

Te quæso moueat stirpis miseratio nostræ,
Ne careat Mahalon posteritate meus.
Sic lætæ segetes tibi luxurientur in aruis,
Nec capiant fruges horrea multa tuas.
Sic te fœtura pecorum ditescere multa
Det Deus, & votis cedere cuncta tuis.
Sic claram sobolem tibi nasci ex coniuge, quam sis
Ducturus, detur pro pietate tua.
Si bene te noui, facies te digna Booze,
Quæ dictat pietas scilicet, atque Vale.

Argumentum decimæsextæ Epistolæ.

Post mala quæ memorat, sibi nati nomine plaudit,
Et maneat constans in pietate, rogat.

ANNA SAMVELI.

MAternis digitis est littera scripta, suauis
Nate, solo patrio quæ tibi missa venit.
Ob mihi sermones tecum conferre negatos,
Ad te maternus scribere cogit amor.
Vt pandat calamus conceptos pectore motus,
Quos tibi semoto pandere lingua nequit.
1. Reg. 1. *Cum sine prole mihi florens marcesceret ætas,*
Peruigil augebat pectora nostra dolor.
Torrentis rapidi lachrymæ mihi more fluebant,
Et crebros gemitus irrequieta dabam.
Assiduis numen precibus votisq́; rogabam,
Vt sterilem proles nata dolore leuet.

Nec

Nec me perpetuò ſat erat tabeſcere luctu,
Ni pectus premerent non toleranda probra.
Deſpiciebat enim me prole ſuperba Phenenna,
Torquebatq́ in me ſcommata multa procax.
Demere mœrorem blando ſermone ſtudebat,
Vxoriq́ pater cor releuare tuus.
Sed cor non fuerat patiens ſolaminis ægrum;
Vrebant pariter me dolor atque pudor.
Nam feſta cùm luce ſacris de more vacaret,
Vellet & vxores exhilarare ſuas;
Indolui cernens multa cum prole Phenennam,
Et multis lachrymis immaduêre genæ:
Infœlix, inquam, Superos quo crimine læſi?
Cur dantur ſterili pignora nulla mihi?
Quando tempus erit, quo matris nomine natus
Me vocet, & ſterilis nomine læta vacem?
Deinde vacillanti rediјt fiducia menti,
Et confiſa Deo vota preceſq́ tuli.
Atque dicaturam promiſi, maſcula proles
Si mihi contingat, tempus in omne Deo.
Ergò pijs votis deſiderijſq́ potita,
Te volui pulſum lacte dicare Deo.
Prole diu optata libuiſſet vtrique parenti
(Id fieri voto non prohibente) frui.
Sed ſterili dici non amplius, eſſeq́ matrem,
Ponderis ingentis res mihi viſa fuit.
Nec fuerat res parua, Deo genuiſſe miniſtrum,
Atque Creatori ſic placuiſſe meo.

In ſuperos pietas maternum vicit amorem;
Si placeo Superis hac ratione, ſat eſt.
Cùm mihi cauſa foret gaudendi nomine prolis,
Ioan. 16. *Luctificisq; probris exonerata forem;*
Pectore concepi verſa vice gaudia tanta,
Luctus vt exciderit priſtinus, atque pudor.
Continuò pæana pio de pectore prompſi,
1. Reg. 2. *Et grates cecinit ſedula lingua Deo.*
Sed de te mihi progenito quæ gaudia ſenſi,
His cedunt, nobis quæ pietate paris.
Namque miniſterium peragis, cultumq́; Tonantis
(Prædicat vt rumor) gnauiter atque piè.
Eminet inſignis multis virtutibus Heli,
Atque Iacobigenis non ſine laude præeſt.
Aſt hoc patre ſatos ita degenerare dolendum eſt;
Et monitis patris cedere nolle ſui.
Quos, metuo, ne quādo grauis pœna opprimat am-
» *Impietas nec enim ſemper inulta manet. (bos,*
Nam carnes Superûm, Regi de more, ſacratas,
Fraudibus exceptas fuſcinuláve, vorant.
Et faciunt, vt ſint mordacis fabula vulgi,
Paruoq́; in pretio ſint veneranda ſacra.
Nec ſat id eſt, nymphas vitiant caſtasq́; ſacrasq́;,
Nec ſe concubitu commaculare timent.
1. Reg. 4. *Hæc bilem ſunt (vt metuo) motura Tonanti,*
Et pœnas poſcunt, quas meruêre, graues.
1. Reg. 3. *Præterea, ſed non ſine munere Flaminis almi,*
Eccl. 46. *Præcinis euentus, atque futura mala.*

Vnde

Vnde meum ſubeunt iuſtiſsima gaudia pectus,
Inq; Dei laudes tota vacare velim.
Terq; quaterq; pater decies fuit Iſacidûm dux, Iudic. 8.
Pignora ſed fratris tot cecidere manu.
Es Samuel inſtar numeroſæ prolis, & omne,
Quod me delectet, ſpes facit vna tui.
Roderéque inſontem maledictis æmula ceſſat,
Iam tacet, ablatum cùm videt eſſe probrum.
Sic ſterilem in Saram conuicia dixit Agara, Gen. 16.
Quæ, natus poſtquam eſt Iſacus ille, ſilet.
Fœcundæq; magis Liæ inuidiſſe Rebeccam Gen. 30.
Credibile eſt, longùm cùm ſine prole foret.
Sed poſtquam natus fuit exoptatus Ioſeph,
Mærorem matris ſuſtulit ille ſuæ.
Imò quæ ſterilis fueram, deſpecta Phenennæ, 1. Reg. 2.
Nunc numero ſobolis vinco beata parens.
Sic duplicare ſolet, quæ prolongata fuêre „
Gaudia, de cauſa nos fugiente, Deus. „
Hæc igitur tacita mecum dum mente voluto,
Cor micat, atque Deo cantica promo pia.
Deinde Deum ſupplex rogo, te, conatibus iſtis
Semper vt aſpirans, culmina ad alta vehat.
Ferueat vt rurſus ſtudium pietatis vbique,
Et Tharide genitis ſis aliquando decus.
Hoc erit in votis, dum vixero: ſemper id vnum
Et lingua, & vigili mente rogabo Deum.
Hunc ſpectet finem ſtudiorum ſumma tuorum,
Nitere ad hoc vnum ſedulus, atque Vale.
Ramathæ.

Argumentum Decimæſeptimæ Epiſtolæ.

Caſibus affligi validumq́ue piumq́ue maritum,
Hos ferat infracta mente, precata, dolet.

MICOL DAVIDI.

QVam re nō poſſum, tabulis tibi mitto ſalutem,
Defenſor populi vir generoſe tui.
Sedibus incertis, ſocero cogente, vagari
1. Reg. 21. 22. 24. *Te doleo plus, quàm lingua referre queat.*
Coniuge te fœlix, vel iudice patre, videbar,
Nacta virum, quem tot bellica facta canunt.
Se iactent alij claris natalibus, at me
Vir clarus bellis & pietate iuuat.
" *Eſt ſpectanda magis virtus, quàm clara propago;*
" *Si deſit virtus, ſtemmata vana puto.*
Nactus es vxorem me, ſed diſcrimine vitæ,
1. Reg. 18. *Inuicta cæſis hoſtibus antè manu.*
Gratius hoc facinus fuerat Regiq́; mihiq́;,
Quàm ſi diues agris ſtemmatibusq́; fores.
Quocirca tanta miror leuitate parentem
Raptum nunc, odijs vſque flagrare tui.
Te proceres ſummis, te vulgus laudibus effert,
Te metuunt hoſtes plus genitore meo.
Acceptamq́; refert Solyme tibi tota ſalutem,
1. Reg. 17. *Nam quod adhuc floret, nouit id eſſe tuum.*
Nam Goliæ perculſa minis & robore vaſto,
Ni ſubueniſſes tu, peritura fuit.

Te Rex instructurus erat regalibus armis,
Vt nihil acciperes tutus ab hoste mali.
Sed tibi consuetumq́ pedum, nitidosq́ lapillos
Assumens, fueras promptus adire virum.
Commisso Superis tantæ discrimine pugnæ,
Non expauisti robur & arma viri.
Spirabat tristesq́ minas, stragemq́ cruentam,
Dijs fretus vanis, roboribusq́ suis.
Sed vasta tumidum strauisti mole gigantem,
Aetherei fretus non nisi Regis ope.
Summa fuit Solymis trepidatio, quando duellum
Poscebat Golias, pessima quæque minans.
At virtute tua redierunt gaudia summa,
Cùm ferres, rediens victor ab hoste, caput
Cùm strati funda caput illius ense recisum
Portares, Solymam clara trophæa ferens.
Id docuêre satis muliebris cantica turbæ,
Cantantis laudes ob benefacta tuas:
Tympana pulsabant matronæ, & tinnula sistra,
Et summos titulos attribuêre tibi.
Non tanti plausus, non gaudia tanta fuêre,
Quo muris Solyme tempore cincta fuit.
Tantorum oblitus meritorum, oditq́, necemq́
Molitur genero, qua queat arte, socer.
Sed vanos eius conatus spero futuros,
Auspice namque Deo, quod facis, omne facis.
Te frater constante fide veneratur, amatq́; 1. Reg. 18. & 19.
Te, quanto par est, semper amore colo.

Sæpe patrem flexit verborum pondere frater,
Sed mentem rediens raptat agitq́ue furor.
Qui tantùm non perdiderat te nuper, ob hostes
A te vel cæsos, præcipitésve fuga.
Nam nisi te instantis monuissem cauta pericli,
Cessissesq́ue patri nocte tegente fugam;
Non te postridie vitali luce fruentem
Vidisset celsi Phœbus ab arce poli.
Et nisi fallacem fucum commenta fuissem,
In graue discrimen præcipitanda fui.
Nam quas te fuerat socer exacturus iniquè,
Soluissem pœnas, nil miserante patre.
Et quamuis totis te perdere viribus instat,
Infractis animis fers tamen omne malum.
1.Reg.24. *Et mala facta tibi studuisti reddere nulla,*
Sed placidè perfers, quæ mala cunque dedit.
At patri metuo iamdudum tristia fata,
Fusus enim minimè sanguis inultus erit.
1.Reg.22. *Nãque quaterdenos, totidemq́ue & quinq; peremit*
Ense sacerdotes, patre iubente, Doech.
Innocuus sanguis vindictam poscit eorum,
Quum sit ad hæc Nobe sparsa cruore virûm.
Heu veniet tempus (mea sint præsagia vana)
Hanc cladem fuso quando cruore luet.
Donec namque tuis adiutus viribus esset,
Securus vixit, tutus ab hoste fuit.
Sed quoniam pergit, cæca stimulatus Erynni,
Insontem generum perdere velle suum,

Antè

Antè ſacerdotum maculatus ſanguine, bilem
Numinis in cladem prouocat ipſe ſuam.
Hinc igitur curis diſtringor nomine patris,
Ne ſcelus admiſſum vindicet ira Dei.
Hinc dolor excruciat, patrijs quòd finibus exul,
Tam multis inſons obijciare malis.
At confide, Deo fretus, chariſsime coniux,
Nam bene ſuccedent res aliquando tuæ.
Fortunæ minimè ſunt hæc ludibria cæca, "
Cuncta ſed eueniunt ſic ſtatuente Deo. "
Qui premit ad tempus te, pòſt vt tollat in altum,
Et valida geſtes aurea ſceptra manu.
Fortiter ergò hoc exilium fer, néve ferendis
Deijcias animum triſtibus, atque Vale.
Ieroſolymis.

Argumentum decimæoctauæ Epiſtolæ.

Seſeq́, vxoreſq́, alias, & pignora chara,
Dauidi queritur vincula dura pati.

ABIGAIL DAVIDI.

QVam legis, à capta tibi venit epiſtola miſſa
Coniuge, ſollicita ſcripta marite manu.
Hei mihi, perpetuis carpar præcordia curis?
Triſtia ſemper erunt fata ferenda mihi?
Fatorum, quæ dura tuli florentibus annis,
Speraui finem, cùm tibi nupta forem.
Nam mala quid memorē, Nabal à cōiuge quot ſim 1. Reg. 25.
Paſſa, cui nomen mens malè ſana dedit?

Auspicijs certè læuis sum nacta maritum,
Cui corpus fuerat prorsus inane salis.
Ingenium stolidum sat prodidit ille, roganti
Cùm tibi nihil vellet suppeditare cibi.
Prou. 17. Insulso quid enim substantia profuit ingens,
Quem penes vtendi non modus vllus erat?
Et nisi munificè potumq́; cibumq́; dedissem,
Vobis muneribus gratificata meis:
Fortè mei Nabal maculasses sanguine palmas,
Offensus tanta rusticitate viri.
Te, moderareris, fuerat quæ percita, bili,
Orabam placidis supplicibusq́; modis.
Nam tibi mærorem cædes paritura fuisset,
„ Sueuit enim cædi luctus adesse comes.
Ast hominem bardum mox est diuinitus vlta
Mors, vbi bis quini præteriêre dies.
Ergò vbi coniugio tibi me coniungere visum est,
Curarum finem spes erat esse propè.
Sed spe, quam foui infœlix, lactabar inani,
In grauiusq́; malum præcipitata ruo.
Non accepta fero mala, quæ fero capta, marito,
Tale nihil patitur credere nota fides.
Tantùm implorat opem coniux captiua mariti,
Hostis vt eripiat me tua dextra manu.
Forsitan ignoras, quæ sit mihi causa querendi,
Et cur sit lacrymis littera fœda meis.
1.Reg.30. In Siceleg ratus es tutam immunemq́; pericli
Me fore, ab hoste mihi nulla pericla timens:

Sed dum ſecurus noſtri geris inclyta bella,
Diripitur Siceleg barbaro ab hoſte tua.
Expugnata iacet, populantibus omnia flammis,
Et fruitur prædis Amalecita ferox.
Vxores quotquot fuerant, natoſq́ue ſuaues
Captiuos ſecum detinet hoſtis atrox.
Inſultat nobis, in te conuicia dicit,
Sit quaſi Dauidis debilitata manus.
Forſan abutetur captiuis impius hoſtis,
Si non acceleras eripuiſſe prius.
Tale nefas prohibere velit pia cura Tonantis,
Aut priùs è viuis me cita fata ferant.
Ne miſerabilior caſus nos opprimat, eia
Martia non ſegni corripe tela manu.
Luctificis palmis feriuntur pectora noſtra,
Perpetuo fletu lumina noſtra madent.
Sol noſtros audit gemitus, cùm ſurgit, Eous,
Audit & occiduis quando lauatur aquis.
Vxores moueant, nati ſociјq́ue fideles,
Quorum par fuerit te doluiſſe vicem.
Si quid ceſſatum eſt, nūc nūc properetur ad arma,
Atque latrociniј damna repende manu.
Sunt valida repetenda manu, quæcunque latrones
Raptârunt, Siceleg dum ſpoliata ruit.
Quàm ſit grata Deo pietas hæc, ipſe docebit,
Dum feret vltori non dubitanter opem.
Ereptum qui te ſeruauit mille periclis,
Victori Goliæ qui dedit eſſe tibi; 1.Reg.17.

Inuictas vires tibi ſuppeditabit in hoſtes,
Vt qui iuſta geras prælia, fretus eo.
Sæpius in te ſpectatæ pietáſque fidéſque
Auxilium moneant illico ferre tuis.
Flenda moras nullas patitur fortuna tuorum,
" *Hoſtis enim fidei non ſolet eſſe tenax.*
Scribere plura vetat dolor angens pectora noſtra,
Quæq; genis noſtris lachryma crebra cadit.
Quæ trepidis ſcripſi digitis, calamoq; trementi,
Sufficiunt noſtrum pandere pauca ſtatum.
Quo me, quoq; tuos nunc complectaris amore,
Declara mi Rex ocyus, atque Vale.

Argumentum decimænonæ Epiſtolæ.

Miratur, queriturq́ue virum fugitare penates,
Quos properè repetat, Rege iubente, rogat.

BETHSABEE VRIÆ.

QVa per te careo, tibi mitte marite ſalutem,
Te cupiens vnum, nil tua ſcripta moror.
2. Reg. 11. *Sæpe moras belli ſum deteſtata, maritum*
Tempore quæ tanto detinuêre meum.
Ambigui Martis timui tibi ſæpe pericla,
Ne miſeram viduent coniuge fortè meo.
Nam mihi non rarò turbant inſomnia mentem,
Quæ prohibent placido nocte ſopore frui.
Ex caſtris Solymam quiſquis venit, ille rogatur,
Qui valeat coniux, húcne venire paret.

O vtinam iaceat vestris euersa lacertis,
Iamdudum votis inuida Rabba meis.
Non ego tot noctes mordacibus excita curis,
Insomnes traherem, ceu viduata viro.
Impia Rabba meis nimis est contraria votis,
Per quam tranquillè non licet esse mihi.
Sed neque de Rabba sola est mihi causa querendi,
Non minus est de te iusta querela mihi.
Istic lentus abes, prorsum obliuiscere nostri,
Et tractare iuuat nil nisi Martis opus.
Prodigus es vitæ, fugitasq́ue iugalia iura;
Friget amor nostri; ne manifesta nega.
Iussit amore mei te Rex accersere castris,
Vt mecum caperes gaudia blanda tori.
Huc tamen ex castris hoc vno fine reuersus,
Dignatus non es me vel adire semel.
Quin & curandi genij Rex nomine misit
Regalesq́ue dapes, exhilaransq́ue merum.
At tibi cum Regis plus pernoctare ministris
Collibuit, quàm cum coniuge amante tui.
Vnde quid infælix aliud nunc suspicer, oro,
Quàm lectum vxoris te fugitare tuæ?
Vxorem vir amat, qui, Rege iubente, recusat
Ad thalamum noctu coniugis ire suæ?
Non sic coniugij seruantur fœdera pacti,
Nam si friget amor, friget & ipsa fides. "
Nec sat erat; te postridie dapibusq́ue meroq́ue
Dignatus Rex est exhilarare suis:

Coniugis vt vel ſic proritareris amore.
Et noſtrum peteres actus amore torum.
Verùm cauſatus pietatem, & friuola multa,
Prorſus nolebas Regia iuſſa ſequi.
Atque, diu quibus abfueras, tua tecta ſubire,
Me vitabundus, propoſitiq́; tenax.
Suſpicor hæc Regem non æqua mente tuliſſe;
„ *Non tutum eſt Regis temnere iuſſa ſui.*
Eſto, animum fidum voluiſti oſtendere Regi,
Quapropter genio cura negata fuit.
Sat fuerat fugiſſe ſemel te coniugis vſum,
Purgari poteras hac ratione ſemel.
Vtq́; feram, quæ facta mihi eſt iniuria, non Rex
Hoc abs te factum diſsimulanter habet.
Hæc offenſa, precor, ne ſit tibi cauſa ruinæ,
Illum namque ægra mente tuliſſe ferunt.
Quod Regi placuit, tibi item placuiſſe decebat,
„ *Haud tutò violes Regis amicitiam.*
Eſt illi tua nota fides, & bellica virtus,
Hanc voluit meritis ergò probare ſuis.
Ex caſtriſq́; animum tibi declarare vocato,
Quem gerat in fidum belligerumq́; ducem.
Non igitur decuit Regalia temnere dona,
Par fuerat potiùs Regia iuſſa ſequi.
In me quid tibi diſpliceat, me præterit: vnum
Hoc ſcio, non formam diſplicuiſſe tibi.
Nec læſæ fidei tibi ſum ſuſpecta iugalis,
„ *Nam mens impatiens eſt generoſa probri.*

Quidquid id est, quod difficilem te reddidit, aut
Aut pactæ fidei fœdera redde mihi. (dic,
Me, tibi quæ semper volui bene, dilige semper,
Et Solymam propera (quò potes) absque mora.
Securus propera, quò Regia iussa vocârunt,
Missæ namque dapes pignus amoris erant.
Coniugis aduentu nihil exoptatius esset;
Huc propera, si me diligis, atque Vale.
Ierosolymis.

Argumentum XX. Epistolæ.

Coniugium ob læsum metuit discrimina, quod sit
Rege grauis; quare consulat, orat eum.

BETHSABEE DAVIDI.

CVr lacrymis madeat Rex inclyte littera, cau-
Esse tibi notam, me reticente, reor. (sam
Sed quia celatus dolor alto pectore crescit,
Proditus egeritur, mittitur ista scheda.
Pandere, qui premitur tacito sub corde, dolorem
Me cogit pietas, & tua nota fides.
Cùm gelido me prospiceres in fonte lauantem, 2.Reg.11.
Protinus arsisti pectus amore mei.
Nudæ visa tuas vrebat forma medullas,
Vt naphtham distans illico flamma cremat.
Atque accersitæ conceptos fassus es ignes,
Complexu cupiens cor releuare tuum.
Erubui tecum fœdus violare iugale,
Atque maritalis soluere iura tori.

Et pu-

Et pudor & pietas, & nostræ regula legis
Deut. 5. Dictabant thalami non temerare fidem.
Nullis muneribus libuit violare pudorem,
Sed metus offensæ iussit adire nefas.
Non potui Regi non consentire volenti;
Quod Regi placuit, debuit esse ratum.
At verò cùm pòst ex te grauida esse dolerem,
Atque vteri pondus cùm tibi questa forem;
Concubitus vetiti metuens persoluere pœnas,
Haud vllam dixi ferre pericla moram.
Lecti namque mei fugiens commercia coniux,
Fecit sollicitam plus trepidare metu.
Deut.22. Perspiciens igitur nostrum commune periclum,
Iussisti Solymas acceleraret iter:
Eius vt amplexu tegerentur Regia furta,
Neve probro plectat publica pœna ream.
Sed famulus domino dum plus studet esse fidelis,
Quàm fieri velles, in sua fata ruit.
Nam per eum belli ductori littera missa
Implicuit miserum non sine fraude neci.
Namque acie in prima cùm staret, opemq́; negaret
Quisque, peremerunt hostica tela virum.
Hæc fidei domino seruatæ est reddita merces,
His meritis famuli magna repensa fides.
Infœlix igitur cùm sim spoliata pudore,
Atque orbata viro, quæ mihi fata manent?
Leui. 20. Quid restat, nisi vti petrarum grandine cuncto
Obruar à populo, publica probra ferens?

Hoc

Hoc Rex Iſacidum non permiſſurus es vnquam,
  Si ſat nota tua eſt mens generoſa mihi.
Quorum cauſa mihi es (ſi fas eſt dicere verum)
  Reſtat, vt eripias, qua potes arte, malis.
Amborum famæ, nec non vtriuſque ſaluti,
  Illico prudenti conſule mente, precor.
Non equidem tædis dignam Regalibus eſſe
  Cenſeo me; famulam ſat foret eſſe tuam.
Quò me ter miſeram rapuerunt inuida fata!
  Quot labefactatur mens agitata malis!
Sub noctem vereor pollutum ſcandere lectum,
  Semper inhorreſcens impietate probri.
Numine ab offenſo metuit mens conſcia pœnas,
  Quas poſcet, ſi non flexeris antè prece.
Inuictum te vicit amor; reſipiſcere tempus
  Poſtulat, & rebus conſuluiſſe tuis.
Plus ſapit ancilla Rex circumſpectus, at iſta
  Mæror, & ingenuus ſcribere iuſſit amor.
Me fidei commendo tuæ, Rex optime; ne me
  Deſertam pietas (te precor) eſſe ſinat.
Fortunata ſatis fueram viuente marito,
  Nunc ſum, quod nutus Regius eſſe dabit.
A te noſtra ſalus pendet; mors vitaq; noſtra
  In manibus Regis ſunt, decus atque probrum.
Tu niſi ſuccurras, reſtat ſpes nulla ſalutis,
  Solus quaſſatæ es portus & aura rati.
Te per defuncti oro fidem fatumq; mariti,
  Atque per orbati fœdera cæpta tori;

Te mæſtæ

Te mæstæ viduæ pie Rex miserescat, & aufer,
Instantis probri suppliciiq; metum.
Spero equidem (nec me lactat fiducia vana)
Te tanget famulæ sors miseranda tuæ.
Respiciesq; pius miseram, vt tollatur in altum,
Quamq; premit mæror, gaudia multa leuent.
Sic quæcunque geris, cedant tibi prospera bella,
Sic ex hoste feras clara trophæa tuo.
Virtutum tacitis sic crescant auctibus omnes
Prædulces nati, pignora digna patre.
Sic soboles, dum sol lustrabit ab æthere terras,
In patrio solio Regia sceptra ferat.
Annuat his votis Deus, atque in tempora multa,
Hostibus oppressis, det tibi pace frui.
Quæ dolor impediit tibi dicere, scribere iussit,
Suppleat vt calamus, quod bene lingua nequit.
Quod lex, quod ratio faciundum præcipit, illud
Curabis fieri protinus, atque Vale.

Argumentum XXI. Epistolæ.

Ægroto vitium mœrens à fratre fuisse,
Incautæ oblatum, Regia nata dolet.

THAMAR AMNONI.

ÆDibus ex fratris tibi littera mittitur Amnō,
Mærentis Thamar nō bene scripta manu.
Scribere me cogunt fraus & vis facta sorori
A fratre, vt luctum iusta querela leuet.
Non igitur maculas miraberis atque lituras,
Si spectes causam, quæ tibi nota sat est.

Fortunata

Fortunata fui, nunc ſum miſeranda, dolore
AEtatis florem nocte dieq; terens.
Clara fui nymphas Iſraëlitidas inter,
Nunc lateo læſo mæſta pudore domi.
Quæ nuptura fui generoſa ſtirpe creato,
AEtatis cælebs tempora ſorte teram.
Non tantis vereare malis onerare ſororem,
Me vi dum ſpolias flore pudicitiæ?
A fratre ægroto quid formidare pericli
Debuit, ignorans quid ſit amare, ſoror?
Te fœdæ veneris flammas prætexere morbo?
Et velut ægrotum decubuiſſe toro?
Scilicet ut fratri ægroto ſoror apparet eſcam,
Qualem plus alijs illa parare ſciat.
Vt ſic incautè vacua raperetur in aula,
Quæ dos eſt nymphis optima ſola, pudor.
Iſacidas inter cepit dementia nullum,
Quanta ſubintroijt cor malè ſane tuum?
Iſacidas quid dico? feris non, quidquid vbique eſt,
Tam ſtolidam mentem gentibus eſſe reor.
Inſano quis enim flagrauit amore ſororis,
Vt morbum ſimulans, ſic vitiaret eam?
Nulla Palæſtinis ex nymphis ergo placebat,
Me præter ſolam, cuius amore flagres?
Cuius forma tuum potius ſuccendat amore
Pectus? ad amplexum quæ ſtimulaſſe queat?
Si ius humanum ratioq; vetare nequibant,
Terrori Superûm debuit eſſe metus.

Legiſeri

Deut.20. *Legiferi Mosis lex omnes perdere iußit*
Incestos, quo sint stemmate cunque sati.
" *Non Rex Cælicolûm generis splendore mouetur,*
" *Nemo impunè nocens impia facta tulit.*
Infælix Amnon, quæ te stimulauit Erynnis,
Cùm nullus posset te cohibere metus?
Te blandis precibus nitebar flectere supplex,
De stupro trepidam sollicitare videns.
Blanditijs pariterq́; minis conabar acerbis
Flectere, ne vecors aggrederêre nefas.
Sed surdo, cecini; furor expugnabilis arte
Haud fuerat, nec enim est ille vocandus amor.
Fraude pudicitiam fuit expugnasse sororis
Non satis, & nullas extimuisse minas.
Nam mox exosus, ceu scortum, pellere tectis
Iußisti, ingeminans scommata, probra, minas.
Non precibus, sed nec lacrymis te flectere quiui,
Vt patrocinio nox foret atra mihi.
Concessa est mora nulla mihi, qua mæsta pudori
Consulerem, per te qui modò læsus erat.
Multa luce tuos iußisti exire penates,
Vt propter stuprum fabula cuique forem.
Barbarus est inter gentes (vt opinor) atroxq́;
Vsque adeò nemo, vel pietate carens;
Vt cadat impietas in eum tam fœda, nefasq́;
Tam crudele, ferox, degener, atque vafrum.
Non igitur potui non dilacerare capillos,
Et pectus rigida sæpè ferire manu.

Exanimem luctu consternatamq́; dolore
Respexit, propior qui mihi frater erat.
Solatus miseram blandis est vocibus ille,
Inq́; suis tectis detinet atque fouet.
Indignosq́; meos ægro fert pectore casus,
Atque graues in te iactitat ore minas.
Impietas Amnon non ista manebit inulta,
Haud impunè feres hoc scelerate nefas.
Isacidos Dinæ raptum sunt vindice ferro
Vlti germani non sine clade graui. Gen. 34.
Ense trucidârunt ciues hostiliter omnes,
Extincto nato cum patre Rege simul.
Impauidis animis hæc illis vltio sumpta est,
Vt secum repetat tecta paterna soror.
Mox vrbem subijt fratrum quoque cætera turba,
Qui spoliauerunt quidquid in vrbe fuit.
Vxores, natos, pecuariaq́; omnia secum
Abducunt; ruri nil remanere sinunt.
Si probrum nymphæ sunt tam crudeliter vlti:
Quæ tandem incestum pœna piare queat?
Non quòd supplicium cupiam quem sumere de te;
Non tua restituet pœna pudicitiam.
Sed quòd vindictam facinus crudele requirat;
Impunita sinit crimina nulla Deus.
Dissimulet genitor, de nato sumere pœnas
Negligat, & sontem pro bonitate ferat:
Non tamen idcirco deerit, qui vindice dextra
Expiet incestum flagitiumq́; tuum.

Mors tua, digna licet, pareret mihi (crede) dolorē,
Te tamen (ut metuo) tristia fata manent.
" Dissimulat Deus ad tempus delicta, sed illam
" Pensat supplicij pòst grauitate, moram.
Videris interea, tibi quis tandem exitus instet,
Me certè luctus tempus in omne manet.

Argumentum XXII. Epistolæ.

Impietate dolens fratris, desistere cœptis
Admonet, atque patri bella ciere vetat.

THAMAR ABSALOMO.

CVr præter solitum mittatur epistola frater
Hæc tibi, si nescis, maxima causa fuit.
Iamdudum per te sum conturbata dolore
Tanto, vt eum pectus non bene ferre queat.
Non me læsisti lingua factisve superbis;
Explorata fides est mihi sæpe tua.
2.Reg.13. Expulerat tectis Amnon me viq; doloq;
Compressam, vt probri publica fama foret.
ÆEdibus acceptam mulcebas, atque dolentem
Lenibas verbis, officijsq; pijs.
Testabare satis, quo complectaris amore
Germanam, fratri pessima quæque minans.
Fraus hæc facta tuæ male fido à fratre sorori,
Ambobus pariter causa doloris erat.
Nam fore dicebas tempus, quo vindice ferro
Impius infandum penderet ille scelus.

Atque

Atque vtinam tandem bilis sopita fuisset;
Debuerant anni tres posuisse modum.
Impius in me grande nefas admiserat Amnon,
Et pœnas sceleris soluere dignus erat.
Cessabat genitor, nati repressus amore,
Noluit & nati se maculare nece.
Non ideo fœdare manus te sanguine fratris
Par erat, atque inter pocula tollere eum.
Quod soli vindicta Deo linquenda sit omnis, Deut. 32.
Exemplo poterat te docuisse Caïn. Genes. 4.
Quem cruciauerunt, dum vixit, Erinnyes atræ,
Atque necis pœnas corde pauente dedit.
Et te fraternæ turbari nomine cædis,
Non dubito, dum mens irrequieta manet.
Incestus meruit puniri sanguine fuso,
Immunem decuit te tamen esse necis.
At tibi nunc mentem eripuit dementia maior,
Quæ, metuo, fatum ne tibi quando ferat.
Nam patris offensi pietas simul atque recepit 2.Reg.14.
(Concessa venia) te patria atque domo;
Das operam grauius genitorem lædere nostrum,
Non, tibi quæ fuerit gratia facta, memor.
Namque auram captas populi, dum pellicis ad te 2.Reg.15.
Vulgus, blanditijs pollicitisq́; tuis.
Inuisum plebi dum reddis, scommata iactans,
Obliquis salibus dum patris acta notas.
Quodq́; magis doleo, cepit vesania pectus
Tanta tuum, vt studeas demere sceptra patri.

Inq́ dies populi fit coniuratio tanta,
Vt Regem Solymis cogat abire metus.
Plenæ igitur Solymæ sunt turbarũ atque tumultus,
Nullum non ciuem cura metusq́ tenent.
Opplentur lacrymis maxilla genæq́ parentis,
Nudatusq́ caput per loca vasta fugit.
Heu species miseranda; pudor pietasq́ recessit
Protenus è terris; omnia iura ruunt.
Quem pressêre tot ærumnæ fas præter & æquum,
Impie non dubitas his cumulare malis?
2.Reg.16. *Nec sat id est; audes nymphis concumbere ijsdem,*
Quæ patri nostro concubuere prius.
Nudatus genitor post hausti pocula vini,
Genes. 9. *Proditur à Chamo, despiciturq́ suo.*
Impietas hæc vt peruênit patris ad aures,
Offensus nati crimine, bile tumet.
Néve impunè ferat scelus hoc, vult, subiugis vt sit
Fratribus, atque eadẽ lex premat omne genus.
Et liquet haud illum lectum temerasse paternum,
Nec studuit patri bella ciere suo.
Genes.35. *Ausus erat Ruben patris incestare cubile,*
1.Para. 5. *Sed pœnas stupri patre iubente dedit.*
Gen. 49. *Maximus ille fuit fratrum, sed munera danda*
Amisit demens impietate sua.
Iosue 24. *Quæ primogenito bona debebantur, Ioseph*
Ioan. 4. *Cesserunt natis, sic statuente patre.*
Quid molire miser? genitori Regia sceptra
Eripuisse paras, & diadema suum?

Tollere

Tollere concessum regnum diuinitus illi
Speras posse, Deo tale iubente nihil?
In mortem grassare patris, nil tale merentis,
Scilicet vt sceptro sic potiare patris?
Obsistis (mihi crede) Deo, pœnasq́; pudendas,
Si non missa facis turpia cœpta, lues.
Exiget impietas crudelis (dicere fas sit)
Vindictam, sed mens sit mihi vana, precor.
Sunt mala structa patri permulta à Rege Saüle,
Hostica quem meritæ tela dedêre neci. 1.Reg.31.
Pugnat nãque Deo, qui, quem Deus ipse probauit, "
Præcipitare gradu fraude manúve studet. Rom. 13.
Eripiet sceptrum genitori nemo, Tonantis
Quod iussu gestat strenuus ille manu. 1.Reg.16.
Si quid mẽtis adhuc superest tibi, comprime motus,
Insonti patri nil meditare mali.
Delicti potius veniam tibi suadeo poscas,
Quam nequeat clemens ille negare tibi.
Consilijs, si sana putas, monitisq́; sororis
Parebis, tempus dum sinit, atque Vale.

Argumentum XXIII. Epistolæ.

Commemorat benefacta pij quàm plurima vatis,
Quem fugitare metu per loca vasta, dolet.

VIDVA SAREPTANA, HELIÆ.

LIttera Sarepta venit hæc clarissime Vates,
Ne non testetur me meminisse tui;

Atque vicem plorare tuam, formidine mortis
Quod patriјs profugus finibus exul, agas.
Adductura tui lux est obliuia nobis,
Quæ finem vitæ est impositura meæ.
Munus enim minimum pensasti munere summo,
Me seruans, fueram quæ peritura fame.
3.Reg.17. *Res angusta fuit semper mihi, sed simul atque*
Oppreſsit patriam non toleranda fames;
Paupertate meæ res cogebantur in arctum,
Et finis vitæ, iam metuendus erat.
Deficiebat enim, quam corpus postulat, esca,
Et mihi spes vitæ nulla relicta fuit.
Namque oleï præter paulùm, modicamq́ farinam,
Nil reliquum fuerat, cùm loquerêre mihi.
Quantulacunque fuêre, tamen tibi liba parari
Mandabas, fauces vt releuêre fame.
Deinde, fames cùm iam tibi pulsa, sitisq́ fuissent,
Relliquiјs pasci me puerumq́, iubes.
Officium mihi pensandum largeq́ pieq́,
Nam grassante fame defore nulla mihi.
Persuasum fuerat mihi, quiduis posse Tonantem,
Cuius es in cultu peruigil atque pius.
Nil igitur cunctans, te lympha & pane cibaui,
Qui miseræ & nato non nisi paruus erat.
Euentum Superis commisi, quisquis is esset,
Mentem fulta fide non trepidante malis.
Exitus extemplò (mirum) promissa probauit,
Et tua sit virtus quanta, videre fuit.

Nam

Nam mihi Palladium minimè defecit oliuum,
Sed neque defecit vesca farina mihi.
Quæ durante fame mihi suffecère, meoq́;
Prædulci nato, qui mihi solus erat.
Solus erat columenq́; domus, matrisq́; suaue
Delicium viduæ, patris imago sui.
Illum conspiciens, leuiùs mea fata ferebam,
Ille mihi cari coniugis instar erat.
Quo cùm (vi morbi superante) orbata fuissem,
Ingentis luctus pondere pressa fui.
Sed lamentantis sine fine modoq́;, misertus, Eccle.48.
Orbatam non me passus es esse diu.
Lecto namque tuo cùm te mandante iaceret,
Numen erat precibus flectere cura tibi.
Nec cassis precibus, motus pietate, vacabas,
Nam per eas nato reddita vita meo est.
Qui nunc virtutum crescit fœliciter auctu,
Dilectumq́; Deo spero aliquando fore.
Hospitij sic pensata est mihi gratia per te,
Sic viuo, tellus dum sitit imbre carens.
Quæ sterilis pluuiæ defectu plus tribus annis
Permanet, heu falsis ob sacra facta deis.
Hæc mala conflârunt luci cultusq́; deorum,
Quos multi vero præposuere Deo.
Hei mihi, quòd legis diuinæ oblitus Achabus 3.Reg.16.
Duxerit vxorem, quæ probat omne nefas.
Quæ quia vana colit simulacra, his dedita solis,
Tractus in errorem est coniugis ille suæ.

Illorum errorem ſequitur pars maxima plæbis,
" Quod Rex namq; facit, quiſque probare ſolet.
Hæc ergo impietas commouit iure Tonantem,
Et facit, vt meritò nos premat atra fames.
3.Reg.18. In te autem quoniam Reginæ bilis inarſit,
Ob cæſos vates, teq́; necare ſtudet:
3.Reg.19. Ne mortem non effugias, loca vaſta peragras,
Mæſtus, & afflictus deficiente cibo.
Iiſdem diſcrucior curis, quibus angeris ipſe,
Et me ſollicitat, quod tibi cunque dolet.
Sed confide Deo, quo protectore periclum
Cùm nullum poſſit lædere, tutus eris.
3.Reg.21. Venturum tempus tecum præſagio, quo mors,
4.Reg.9. Quam Regina parat nunc tibi, perdet eam.
At te reſtituet ſaluum, ereptumq́; periclis,
Qui iuſtis ſemper ſueuit adeſſe, Deus.
" Deprimit interdum iuſtos, grauibusq́; periclis
" Obijcit, at tandem prouehit atque beat.
Fer mala non fractus, patrijs quæ finibus exul,
Vt mortem fugias, fers, loca ſola petens.
Nam tibi quam ſcelerata necem Regina minatur,
Euades, nec te lædere quibit homo.
3.Reg.17. Qui graſſante fame te pane & carne cibauit,
Allatis corui ſedulitate pij:
Nunc quoque te paſcat fugientem triſtia fata,
Dum loca percurris deuia, fœta feris.
Dumq́; lates trepidans inter ſpelæa ferarum,
Ne non ſint vitæ munera ſalua tuæ.

Adtem-

Ad tempus premitur succumbere nescia Virtus, „
Sed vicibus versis emicat illa magis. „
Sic cuius pius es Vates & præco, Tonantis
Fretum ope te lædent nulla pericla necis.
Vt te consoler grauiter fortasse dolentem,
Hæc scribo, profugum te citò adesse precans.
Ne non te reducem videam saluumq; precabor
Votis assiduis supplicibusq; Deum.
Ille diu nobis te sospitet, atque reducat,
Semper vt euadas clarior, atque Vale.
Sareptæ.

Argumentum XXIIII. Epistolæ.

Cedere nolentem mandat Regina Nabuthum
Perdere saxorum grandine, iure sine.

IEZABEL IEZRAELITIS.

QVam legitis, Proceres pietatis amore verēdi,
Non sine bile fuit littera scripta mihi.
Ira iubet mentis vobis aperire recessus,
Et motus animi significare mei.
Nec vobis, quòd sit Regis signata sigillo
Littera, sit mirum; nil reputate doli.
Qua meus est læsus coniux, iniuria facta est
Et mihi; causa eadem meq; virumq; mouet.
Vindictam poscit nobis iniuria facta;
Vt scribam vobis, hæc mihi causa fuit.
Audet enim vester nos fastidire Nabuthus, 3.Reg.21.
Oblitus, quidnam Regia sceptra queant.

Subditus haud cedat Regi? non iussa facessat?
Non liceat Regi, quod sibi cunque libet?
Regi turpe foret blandiri siue precari;
" *Regia iussa decet protinus esse rata.*
" *In populo non est toleranda ferocia Regi,*
Præstiterit semper continuisse metu.
Id quia non fecit coniux, contemnitur illi,
Inq́; leues auras Regia iussa volant.
Hinc acri Regem commouit bile Nabuthus,
Hinc Rex despicitur, qui metuendus erat.
Hinc in fermento coniux iacet, atque dolore
Non oculis somnum, nec capit ore cibum.
Omnem fortè, viri clari, rem nosse velitis;
Hanc vobis referam, qua breuitate queo.
Illius est aulæ contermina vinea nostræ,
Cuius Rex petijt cedere iura sibi.
Hanc holerum fieri coniux meus expetit hortum,
Vicini motus commoditate loci.
Hanc iusto pretio vendat sibi, poscit, eíve
Æqualis pretij vinea cedat, ait.
Hæc oblata à Rege, placet lex neutra Nabutho;
Vineto nulla cedere lege potest.
Hoc retinere sibi decreuit, quòd sit auitum,
Seruandum in pretio, patris amore sui.
Hoc ne cui vendat, se relligione vetari,
Seruandum, donec vita superstes erit.
Hæc illi quoniam perstat sententia firma,
Exarsit meritò coniugis ira mei.

Et quia

Et quia non flexit precibus pretióve Nabuthum,
Est grauis ira mihi nomine mota viri.
Correptoq; ad vos calamo me scribere cogit,
Coniugis vt saluum sit diadema mei.
Namq; impune suum Regem si temnere vulgus „
Cœperit, in pretio non erit ille diu. „
Regem despiciet quiuis de plebe, cadetq; „
Sceptriferi Regis gloria, fama, decus. „
Principijs igitur nos est obstare necesse, „
Vt regno saluum stet sine fine decus. „
Vt paucis ergo dicam, nec vos morer vltrà,
Hæc per vos fieri mando voloq; viri.
Ciuibus indici ieiunia publica vestris
(Ne res hæc careat relligione) placet.
Deinde forum in vestrũ volo concio tota vocetur,
Vt decidantur fasq; nefasq; palam.
Hoc in consessu suprema sede Nabuthus
Consideat, ne quid cogitet esse mali.
Postulat hanc illustre genus, stirpisq; propago;
Iudicij in vestro forma sit ista foro.
Deinde subornati testes sint præsto duo aut tres,
Impuri, quiq; os perfricuêre suum.
Et qui sint faciles sacra commiscere profanis,
Quos penes est pietas relligioq; nihil.
Qui mel vno ex ore vomant, & triste venenum,
Qui volucri vento sint leuitate pares.
Hi confidenter consistant ante tribunal,
Dicturi in dirum crimina multa caput.

Numen

Numen in æthereum blasphema voce Nabuthum
Plurima testentur non timuisse loqui.
Insuper in Regem lingua dixisse proterua
Exo. 22. *Supplicio dignum crimina falsa virum.*
Testentur coram vobis vno ore, locutum
In Regem, inq́; Deum non toleranda mala.
Leui. 24. *Conuictum & capitis damnatum educite vestram*
Extra vrbem, vt Mosis lex veneranda iubet.
Et testes primi vinctum post terga lacertos,
Petrarum rigida grandine quisque petant.
Mox reliqui ingeminet saxorum verbera crebra,
Zelo iustitiæ, legis amore sacræ.
Nec prius absistant, tenues quàm tendat in auras
Spiritus, infernis præcipitandus aquis.
Alituum cibus atque canum sit deinde cadauer;
" *Blasphemis hæc est debita pœna viris.*
Omnibus exemplo volo sit, quicunque Tonantem,
Aut Regem lingua liberiore petit.
Nil moror, euentus quis me Regemq́; sequatur,
Dum pereant, qui non Regia sceptra timent.
Si Regis vestri tangit vos cura, meiq́;,
Ocyus hæc fiant, atque Valete viri.
Ierosolymis.

Argumentum XXV. Epistolæ.

Exul grata pij Vatis benefacta recenset,
Aruorumq́; timet iura perire sibi.

SVNAMITIS HELISEO.

Missa

Missa Philistæa venit ex regione tabella,
Quam legis, eximia vir venerande fide.
Ex illa, quò me Vates properare iubebas,
Cùm ventura esset non toleranda fames. 4.Reg. 8.
Ne peream grassante fame, tua iussa secutam
Detinet à patria barbara terra procul.
His prope iam septem latitaui finibus annos,
Exoptans patrium cernere posse solum.
Id quod spero breui, placato nempe Tonante,
Annonamq́ꝫ suis sufficiente, fore.
Dum, meritis quot me cumulâris, mente reuoluo,
Hæc non officijs pendere posse queror.
Atque ideo iussit mens ad te scribere grata,
Vt tabulis tester me memorem esse tui.
Quam perspexi in te, pietas me compulit, vt te
Accipere hospitio res mihi grata foret.
Nam sat lauta fuit mihi res, ideoq́ꝫ iuuabat
Munificè tantum demeruisse virum.
Permissuq́ꝫ viri, quæ vitæ postulat vsus,
Sunt concessa, cibus, mensa, lucerna, torus.
Quod tamen officium pensasti munere tanto,
In votis vt non grandius esse queat.
Namque diu sterilem dotasti prole petita,
Demittente aures in tua vota Deo.
Ampla quidē fuerat res nobis, quidquid & vsus
Exposcit vitæ, sufficienter erat:
Sed qui morte obita nobis succederet hæres,
Non erat, illius spes quoque dempta fuit.

Nam

Nam quia iam fuerat vir multis obsitus annis,
Spes sobolis nobis non erat vlla super.
Quiduis posse tamen sanctorum vota, precesq;,
Re didici, cùm spem prolis adepta forem.
Quæ fecêre grauem prædulci pignore matrem,
Lacteq; tursêrunt vbera laxa prius.
Filius vt natus secum mihi gaudia summa
Attulit, & cessit qui fuit antè, dolor;
Sic illo sensi tantos orbata dolores,
Vt fuerit miseræ iam mihi vita grauis.
Maxima qui versi mox sunt in gaudia, dum te
Defuncto nato vita precante redit.
Mœsta obitu pueri, defunctum munere vitæ
Imposui lecto, quo recubare soles.
Nec fuit antè mihi requies, quàm voce rogatus
Supplice, dignaris tecta subire mea.
Atque meo nato reuocare in viscera vitam,
Finiat vt luctum reddita vita meum.
Te rogitante, calor rediјt vitalis in artus
Exanguis pueri, vitaq; certa mei.
Gaudia de puero vix cepit pectus oborta,
Namq; fidem, factum est, quod superare queat.
Et quia bis per te datus est mihi, sola voluptas
Filius est matri deliciumq; suæ.
Quem precibus, vir magne, tuis vt debeo sanctis,
Sic quoque nunc vita, te monitore, fruor.
Nam nisi cessissem patria tellure, iubentis
Auscultans monitis ipsa, domusq; mea,

Quæ septem fuerat nos oppressura per annos;
Mortis erat nobis causa futura, fames.
Res mihi dura fuit, laribusq́; aruisq́; relictis,
Annos tot patria delituisse procul.
At multo grauior, quòd veri Numinis absint
Hinc cultus, pietas, cognitioq́; Dei.
Rideo sæpe deos monstrosos, natio stultè
Quos hæc poscit opem, multaq́; sacra facit.
His tribuit sensum, quem non dare quiuerat antè Psal. 113.
Cælis, quantumuis ingeniosa manus. Sap. 13.
Fælix terra, Deum quæ verum nouit, adorat, Psal. 143.
Et solum pura relligione colit. „
Heu quoties tempus votis precibusq́; vocaui, „
Quo patria fruerer, teq́; Propheta Dei.
Labitur (vt dixi) extorri nunc septimus annus,
Quod tempus, sæclo longius esse puto.
Iamq́; famis tempus præfixum præterit; istuc
Ergo pedem vt referam, tempus adesse reor. 4. Reg. 8.
Quare sollicitat me cura domus & agrorum,
Nam mihi, nescio quis, forsan ademit ea.
Spero tamē, postquā te sum mihi nacta patronum,
Quæ mea sunt, per te restituenda mihi.
Sueuit Ioramus tibi Rex concedere multum;
Posce; meis potiar, Rege iubente, bonis.
Quod facias precor, in patriā simul atq; reuersam,
Incolumesq́; meos videris, atque Vale.

Argu-

Argumentum XXVI. Epiſtolæ.

Sollicito Regi curas, quibus angitur, Olda
Eximit, in Superos quod pius ille foret.

HOLDA IOSIÆ.

Littera, quam miſſam legis, optatura ſalutem,
Hebræi populi Rex generoſe, venit.
Scilicet vt perſtes vigil in pietatis amore,
Numinis in cultum, quod potes, vſque vacans:
Gnauiter huc tota perges incumbere mente,
Conſultum rebus ſi cupis eſſe tuis.
Longa fuit ſeries clarorum ſtemmate Regum,
Qui genus Iſacidûm continuêre iugo.
Quorum ſi vitæ ſtudium exploretur ad vnguem,
Eccl. 49. *Exceptis binis, nemo probandus erat.*
Pſal. 88. *Gratus erat Superûm Dauid, Salomonq́ue Parenti,*
3. Reg. 3. *At ſtetit ille pius, degener iſte fuit.*
3. Reg. 11.
4. Reg. 18. *Omnibus ex æquo, qui ſucceſſere Monarchæ,*
Ezechiam præter, mens ſcelerata fuit.
Nam verum vanis dijs poſthabuêre Tonantem,
Hos prece dementes, hos coluêre ſacris.
Exemplum quorum plebs eſt imitata nefandum,
Hinc paucis ſtudium relligionis erat.
Et quia non vllis vatum monitísve minísve
Deſeruit vanos impia turba deos:
Sæpius attrita eſt funeſto Marte fameq́ue,
Rectum vt docta malis ingrederetur iter.

Quos Deus elegit cunctis ex gentibus vnos,
Errorem in tantum præcipitanter eant?
Dæmonibus statuísve litent, fundantq́ cruorem,
Legibus abiectis, postpositoq́ DEO?
Quos sapuisse decet, scelus omne in Regibus hæret, »
In Regem populi publica culpa cadit. »
Si sapit hic, sapit & vulgus plærumque Tonantem »
Regis ad exemplum relligione colens. »
Illustres igitur titulos, laudemq́ mereris 4.Reg.22
Egregiam, studio quòd teneare pio. 2.Par.34.
Patris enim sequeris vestigia Dauidis, arcto
Nil à calle gradum flectere iure volens.
Non patris Amonis summa impietate nefandi, 4.Reg.21.
Qui fœda meruit morte perire citò.
Nec te flexit aui scelerati vita Manassæ, 4.Reg.21.
Qui meritò vinctus compede crura fuit. 2. Par.33.
Fœlix, quem mala non cogunt resipiscere tandem, »
Sed pura nunquam non pietate flagrat. »
Huic, vt cœpisti, vigilanti mente vacare
Perge, Dei cultum qua potes arte iuuans.
Sic, tibi dum cæli dabitur conuexa tueri,
Inuoluent nullis tristia fata malis.
Quæ mala legisti Solymam ciuesq́ manere,
Te spirante, Deus non nocuisse sinet.
Tristibus ærumnis & pondere mille malorum
Lustra premet Solymam post aliquanta Deus.
Deseruistis enim (Superûm Rex maximus inquit) 4.Reg.22
Fœdifragi Dominum gens malè sana tuum. 2.Par.34.

Infantes statuas coluistis sanguine fuso,
His vestris cecidit victima multa Deis.
Dijs posuistis in his spem, præsidiumq́ salutis,
Qui dare cultori non nisi damna solent.
His vestris studijs circum præcordia bilis
Incaluit longo tempore mota mihi.
Hæc & inardescet, de vobis vltio donec
Hanc ob perfidiam, sit mihi sumpta grauis.
Te mouere quidem Rex, verba voluminis huius,
Quod fuit inuentum, conditum in æde sacra.
Hisq; minis gelida trepidas formidine pectus,
Submittisq́ Deo teq́ animosq́ tuos.
Nam grauiter metuis, ne perdat teq́ tuosq́,
Quam minitor, clades, perdere iussa malos.
Hostis enim, metuis, loca ne sacrata profanet,
Et passim madeat terra cruore sacra.
Hinc tibi sunt scissæ vestes, ægroq́ dolore
Profusis lacrymis commaduêre genæ.
Hi fletusq́ precesq́ tuæ mouêre Tonantem,
Et crebros gemitus audiît ille tuos.
Ergo Dei fretus pietate propelle timorem,
Nec mala sollicitet pectus ob illa metus.
Namq; eris immunis, quæ sunt ventura, malorũ,
Donec in humanis te sinet esse Deus.
Expers cladis eris, non infestabere bellis,
Nulla tuo regno prælia ab hoste time.
Dum lucem aspicies, tranquilla pace fruêris,
Omnia succedent spe meliora tibi.

Deni-

Denique vbi superis moriens decesseris oris,
Conderis tumulo post tua fata tuo.
Tantùm sis vigilans diuinæ legis amator,
Fac studio, quidquid præcipit illa, vigil.
Instaura, quæ sunt longo sacra tempore lapsa,
Atque profanatis restituatur honos.
Expurga penitus monimenta nefanda sacrorum,
Quotquot dæmonibus facta fuêre prius.
Sic tibi propitium inuenies facilemq́ue Tonantem,
Sic non destituet te pia cura Dei.
Sic resipiscentis populi miserebitur, & quas
Dictabat pœnas ira, remittet ei.
Nam populum seruare suum desiderat, & non
Punit eum, qui non impietate iubet.

Argumentum XXVII. Epistolæ.

Absentis nati grauis est cessatio matri,
Præcipitetque moras, littera missa iubet.

ANNA TOBIÆ.

FOEdârunt lacrymæ, quas dulcis nate tabellas
Sollicita missas à genitrice legis.
In causa est, qua me crucias, absentia longa,
Ignaram, tantis cur teneare moris.
Exilij patimur iamdudum incommoda multa,
Orbati patrijs sedibus atque bonis.
Cogimur assiduo victum sudore parare;
Hinc nos pauperies vrget, & inde metus.

Tob. 1. *Nam patri pietas est magni causa perieli,*
Quòd defunctorum corpora mandet humo.
Tob. 2. *Nunc quoq; grãdæuo genitori lumẽ aemptum est,*
Nec dubitat mortis tempus adesse suæ.
Hactenus afflicti miserum traduximus æuum,
Dum nos extorres sors inimica premit.
Ambobus, comitata malis extrema senectus
Aduenit, & vitæ stamina longa negat.
Tob. 10. *Nostris ergo oculis lux es, baculusq́; senectæ,*
Tu requies fessis, & medicina mali.
A te posteritas pendet, stirpisq́; propago,
Nam nisi tu, soboles est mihi nulla super.
Et quia præscripta non luce reuerteris ad nos,
Sollicitant curæ pectora nostra tui.
Mille pericla tibi metuo, quia nescio, quæ te
Istic detineat causa maligna moræ.
Tob. 5. *Nil mali ab Azaria comitato credo timendum,*
Cùm nobis visus sit probus atque pius.
Nunc mihi securus nostri oblitúsque videris,
Nunc tristi casu te periisse reor.
Nunc obitum Gabeli, quò iussus es ire, timemus
Esse moræ causam, quæ remeare vetet.
Nulla venit, quam nõ numerem lux, quæq́; dolore
Et curis (animo multa timente) vacet.
Ne fauces cibus & potus, ne lumina somnus
Delectet, vigilans cura metusq́; facit.
Tob. 10. *Flensq́; gemensq́; tero totas formidine noctes,*
Atque dies totos flensq́; gemensq́; tero.

Prospicio, discurro viam qua sis rediturus,
Ingredior, spero, solicitorq́; metu.
Est desiderio mora festinatio quæuis, »
Et cessare queror, quem properare puto. Prou. 13.
Heu desiderium reditus quia crescit in horas
Nate tui, lachrymis iugiter ora rigor.
Sic guttæ asiduè tectis labuntur ab altis,
Cùm Phœbi radijs nix liquefacta fluit.
Non recreant mæstam solamina blanda parentis,
Semper enim nato cor mala mille timet.
Non ita sollicitam te credo Rebecca fuisse, Gen. 29.
Cùm foret extorris filius ille tuus. 31.
Qui Carrhis se continuit per lustra quaterna,
Ne pœnas meritas calliditate daret.
Nam saluum scibas fraternis ædibus esse,
Coniuge gaudentem, pignoribusq́; suis.
At quis te casus nostris à sedibus vsque
Cogat abesse, fugit meq́; patremq́; tuum.
Nam nisi te viuum retineret casus acerbus,
Aduentu reducis cum patre læta forem.
Dum mala multa tibi metuo, genialiter istic,
Oblitus nostri, tempora fortè teris.
Si bene te noui, nostri non immemor vsquam
Indulges genio, tempora læta terens.
Si quis te viuis (expers sit ponderis omen)
Eripuit casus, tollet & ille patrem.
Si natum superis ex oris fata tulère,
In votis mors est accelerata meis.

Tob.4.5. *Mens patri malè sana fuit, cùm mitteret hinc te*
Tam procul, exactum nempe talenta decem.
Debuerat natus patri bis quinque talentis
Argenti, longè carior esse suo.
Eueniunt certè, quæ mens præsagijt antè,
Ad nostrum Gabelum quàm tibi cœpta via est.
Cor abitu vestro doluit, lacrymisq; madebant
(Namque tibi metui tristia fata) genæ.
Quem mihi lenibat genitor solamine luctum,
Spem salui reditus me retinere iubens.
Tob.10. *At lento reditu cùm cernit fallere tempus,*
Se cruciat luctu non genitrice minùs.
Te propter querulis resonant singultibus ædes,
Seu sol dat terris lumina, siue negat.
Nec finis nostri luctus est antè futurus,
Quàm nobis istinc restituare redux.
Quidquid id est, quod te remoratur longiùs æquo,
Certè debueras significare mihi.
Sic esset tolerabilior mora longa, dolorq;,
Qui plumbo grauiùs pectora nostra premit.
Si pia mæstorum te tangit cura parentum,
Ne differ reditum longiùs, atque Vale.

Niniue.

SACRA·

SACRARVM HEROIDVM LIBER SECVNDVS.

Argumentum primæ Epiſtolæ.

Rus abiiſſe virum queritur cogente pudore,
Rebus & in duris ſpem retinere iubet.

ANNA IOACHIMO.

QVa careo, mœrens mœrẽti mitto ſalutem
Hac clauſam tabula, chare marite, tibi.
Nam pudor & mœror, quos eſt tibi ferre moleſtum,
Nõ me perturbãt ſollicitántve minus.
Hi faciunt, vt coniuge me laribusq́; relictis,
Inter lanigeras rure vageris oues.
Cumq́; domi ſolam cor edentem molle relinquis,
Diſcruciant pectus cura metusq́; meum.
Certè debueras animum fulcire labantem
Coniugis, alloquiis conſiliisq́; piis.
Namque viris plus eſt animi, viresq́; valentes: »
At nos cura leuis diſcruciare ſolet. »
Quod ſoboles igitur contingat nulla, doloris
Cauſa fuit nobis, opprobriiq́; diu.
Nam nulla dum prole data lugemus vterque,
Iamdudum nobis bis duo luſtra fluunt.
Attamen in nobis non culpam hærere putandũ eſt,
Nec quod ſim ſterilis, culpa pudenda facit.

Namque diu steriles heroides antè fuere
 Permultæ, quarrm vita probata fuit.
Id quod consilio factum reor esse Tonantis,
Isa. 40. Quod satis humano sanguine scire nequit.
Rom. 11. Hæ tamen optata sunt tandem prole potitæ,
 Relliquitq; vetus pectora mæsta dolor.
Et nos fortè Deus post longi tempora luctus
 Respiciet, mæstis gaudia multa ferens.
Hoc auidis nunquam desistam exposcere votis,
 Et crebris precibus sollicitare Deum.
Nec, quia reiecit summus tua dona sacerdos,
 Causatus nobis pignora nulla dari,
Despondebo animum, sed erit fiducia maior,
 Et spem non dubiam freta fouebo Deo.
Naturæ vitium non debuit obÿcere ille
 Immeritis, salua relligione viri.
Quid vitium dico naturæ? cùm sine nutu
 Confieri Superûm constet in orbe nihil.
Consilio fortasse Dei differtur in annos
 Partus, vti secum gaudia summa ferat.
Reg. 1. Non culpanda fuit cognominis Anna, Rachélve,
Gen. 30. Aut coniux Tharidæ, quòd sine prole forent.
Genes. 15. Et genitrix Samsonis erat per tempora multa
Iud. 13. 14. 15. 16. Mæsta, foret soboles quòd sibi nulla data.
Quæ tandem Samsona ducem est enixa, valentem
 Robore, & ingenÿ dexteritate virum.
1. Reg. 2. Fæcunda aut sterilis nulla est sine mente Tonantis;
Psal. 112. Contingit soboles cuique, fauente Deo.

Amplis nemo bonis gaudet, nisi Numine dante; „
Quo renuente, hominem sors inimica premit. „
Sic sterilis torus est, sic multa prole beatus, „
Arbiter ut vitæ datq; negatq; Deus. „
Indignum opprobrium, suspiria crebra, precesq;
Respiciet nostras (spero) aliquando Deus.
Et nostrum luctum cumulata in gaudia vertet;
Se fretis durus non solet esse diu. Prou. 15.
Nec mihi sit dubium, quin sit pergrata Tonanti
Pauperie inpressos nostra benigna manus.
Hac igitur nixus spe, dilectißime coniux,
Infractis animis hæc tolerato mala.
Prolongata diu spes tandem gaudia plura „
Accumulat mœstis, exhilaratq; magis. Prou. 12.
Sit mecum tibi nixa Deo fiducia semper;
Audiet amborum vota precesq; pias.
Prorogat in longum gignendi tempora forsan,
Vt sua pòst fiat gloria clara, Deus.
Cuius consilium quamuis non assequor altum,
Credo tamen fieri nil sine mente Dei.
Nam quis consilium queat explorare Tonantis? Esa. 40.
Cælicolûm captus quod superare liquet.
Plus vxore sapis, tamen hæc me scribere verus
Cogit amor, nec non, quo cruciare, dolor.
Hi faciunt, vt percupiam solamine mœstum
Atque vagabundum te recreare meo.
Coniugis absentis mora me tam longa remordet,
Excruciantq; dolor me tuus atque pudor.

Debueras igitur mœstæ lenire dolorem,
Præsenti præsens anchora fida fores.
Dum pecudes inter pudibundus rura pererras,
Perpetuis miseræ fletibus ora madent.
At mecum spera solamen ab æthere fidum,
Nam qua lactamur, spem fore credo ratam.
Interea forti toleremus pectore luctum,
Donec respiciat nos Deus, atque Vale.
Ex Nazareth.

Argumentum secundæ Epistolæ

Læta Sacerdoti gratatur nomine nati,
Quem sperat magnum nomine reque fore.

MARIA ZACHARIÆ.

OMnia læta precans Nazareis venit ab oris,
Quam vir magne legis, littera missa tibi.
Indolui causa non rarò tuaq́; tuæq́;
Coniugis, vt quæ sit sanguine iuncta mihi;
Lucæ 1. *Quòd vobis sterilis florens elapsa sit ætas,*
Nataq́; sit soboles nulla, petita diu.
Ingentis vobis fuit vna hæc causa doloris,
Materies luctus non aliundè fuit.
Nemo tamen sine fruge fuit virtutis amator,
Et sceleris purum præmia certa manent.
Exitus id docuit, vertens in gaudia luctum,
Qui grauiter torsit pectora vestra diu.

Quan-

Quandoquidem ſenio confectis maſcula proles
  Eſt modò nata, docens nunc quoq;,qualis erit.
Nam quæ de puero decantat publica fama,
  Excedunt tantùm non nouitate fidem.
Namque micant in eo diuini ſigna fauoris,
  Quæ, quantus fiet, ſatq́; ſuperq́; docent.
Vt taceam, quòd ſubſilijt, cùm læta precarer
  Vxori grauidæ, limina veſtra petens.
Quod potuit, gratabatur nondum editus illi,
  Cuius erit fidus tempore præco ſuo.
Nomen Ioannes ſatis id teſtatur apertè,
  Quod puero Gabriel iuſſerat antè dari.
Nomine quo dictus nemo eſt de ſtirpe tuorum,
  Fiet enim mundo gratia nota Dei.
Vxori ergo tuæ, vicinæ, & ſtirpe propinquæ
  Gratantur meritò dulce puerperium.
Suſpenſusq́; rei tanta nouitate, futuros
  Euentus reputat pectore quiſque ſuo.
Et veſtri nati, votis precibusq́; petiti,
  Natalis peperit gaudia magna mihi.
Iuſsit & arrepto calamo me pandere vobis,
  Quantæ lætitiæ ſit mihi cauſa puer.
Hinc quoque gaudendi vobis iuſtiſsima cauſa eſt,
  Vincula quòd linguæ ſint reſoluta tuæ.
Nuncius intento ſacris quod ab æthere miſſus
  Promiſit, potuit non caruiſſe fide.
Haud neſcis, Abrahæ fuerit quàm grata Tonanti Gen. 22.
  Explorata fides, obſequiúmque pium? Galat. 3.

Mirando

Hebr. 11. *Mirando poteras grandæuæ discere Sara*
(Cui spes prolis erat nulla) puerperio,
Vxorem quoque posse tuam gestamine prolis
Impleri, fieri sic statuente Deo.
" *Absque mora, quodcunque Deo libet, euenit omne;*
" *Naturæ Dominus, quæ placuêre, facit.*
Has igitur pœnas, fueras quia credere tardus
Numinis oraclo, iure dedisse puta.
Posteritas hoc exemplo plus cauta futura est,
Promptior oraclis, vt sit habere fidem.
Non tamen idcirco promissa fuêre Tonantis
Irrita, quòd fuerint somnia visa tibi.
Nam postquam decies coïerunt cornua Lunæ,
Editus est infans, gaudia multa ferens.
Gaudia multa tulit vobis, & stirpe propinquis,
Et mihi, quæ vobis omnia fausta precor.
Vt mihi præsagit mens non leuis, omnia vertet
Prisca recens ordo, vitaq; digna Deo.
Vita repurgatis vitijs syncera coletur,
Esaiæ 2. *Bellis succedet pacis alumna quies.*
Aurea nascetur pulsis erroribus ætas,
Quisque Deum pura relligione colet.
Exoriens prælustre iubar, caligine pulsa,
Malac. 4. *Lustrabit vitijs pectora cæca prius.*
Esaiæ 2. *Denique quæ sancti cecinerunt tempora Vates,*
Ioel 2. *Nunc instare reor, læta, beata, pia.*
Psal. 71. Ierem. 31. *Huc faciet natus, tua quem peperit tibi coniux,*
Victurus semper duriter atque probè.

Quem Deus elegit, docturum, ſemita quæ ſit Matth.3.
Æthereas arces ſcandere mente docens.
Cui grandeſcenti precor aſpiret Deus, vt ſit
Ad conuertendum corda ſceleſta potens. Malac. 4.
Doctrina valeat, ſceleratos increpet, atque
Blandis alloquijs pectora mæſta leuet.
Clamitet haud ceſſans, paret vt ſe quiſque ſaluti, Eſai. 58.
Vox ſonet ex eius gutture, more tubæ.
Atque viam Chriſti venturi lucis in oras, Malac. 3.
Exemplo, monitis, conſilijsq́ue paret. Matth.11.
Denique præcurrat, ceu Phœbi lucifer ortum,
Lumine præcellens aſtra minora ſuo.
Opto, puerperium cognatæ lene ſit, atque
Ambobus ſenium mite, diuq́ue Vale.
Ex Nazareth.

Argumentum tertiæ Epiſtolæ.

Exilium natæ, & generi dolet atque nepotis,
Infantumq́ue, truci Rege iubente, necem.

ANNA IOSEPHO.

VEſtri magna, gener mihi dilectiſſime, cura
Fecit, vt hæc veniat littera miſſa tibi.
Credita namque tuæ fidei mea nata, neposq́ue
Me faciunt nunquam non trepidare metu.
Sollicitam me nocte facit fuga veſtra, dieq́ue;
Pignoribus tantis cor mala mille timet.

Nox

Nox fuit illa mihi lacrymandi maxima causa,
Grandæuæ qua non tristior vlla fuit:
Matt. 2. *Qua iussit propere Pharias contendere ad oras,*
Nuncius ætherei missus ab arce poli.
Excita qua somno, correpto pignore dulci,
Flenti flens dixit filia triste vale.
Me patriamq; metu crudelis linquere Regis
Cogebare, tremens impatiensq; moræ;
Ne pereat reliquis cum natis ense tyranni,
Mortali genitus matre Deoq; puer.
In puerum nil posse scio molimina Regis,
Intentet puero, quæ mala cumque potest.
Sed quia mortali celat sub corpore Numen,
Cogit amor profugis multa timere mala.
Non istic à Rege truci discrimina nobis
Semotum puerum tam procul, vlla manent.
Tres tamen imbelles quia habet vos impia tellus,
Non cor sollicitum desinit esse metu.
Est sincera fides tua perspectissima nobis,
Contingit requies non tamen vlla mihi.
AEtatem triuêre meam gemitusq; dolorq;,
Quòd soboles sterili sit mihi nulla data.
Respiciens tamen optata me prole parentem
Fecit, inexhausta pro bonitate, Deus.
Tunc igitur mœror vetus est in gaudia versus,
Et cecini grates exhilarata Deo.
At nunc me turbat fuga tam longinqua meorum,
Quam noctu iussit mortis inire metus.

Dedere

Dedere namque neci iussere edicta tyranni,
Infantes, Bethles mœnia quotquot habent;
Vt suspectus ei pereat quoque pusio noster,
Nec sibi successor debita sceptra gerat.
Quamuis sollicitat crudelem vana tyrannum
Cura, tamen pereunt, qui meruêre nihil.
Heu quantam stragem puerorum, milite misso,
Impius Herodes edidit ense truci!
Ense trucidantur, qui vixdum limina vitæ
Ingressi, nondum verba sonare queunt.
Infantes non erubuit confringere saxis,
Tigridibus miles plus feritatis habens.
Quot vidi infantes abreptos vbere matrum,
Confossosq́, feris alitibusq́ dari! Psal. 78.
Omnia manârunt penetralia sparsa cruore,
Sanguinis immunis nulla platæa fuit.
Heu quantis sonuit tunc passim vlulatibus æther! Ierem. 31.
Maternæ lacrymis quot maduere genæ!
Quid commiserunt sugentes vbera matrum?
Crimine quo possunt commeruisse necem?
Nunquam impunè feres crudelia facta tyranne;
Tempus erit, cùm tam barbara facta lues.
A superis nunquam crudelis inulta manebit
Hæc clades, nullo tempore quanta fuit.
Effusus sanguis vindictam aliquando requiret, Apoc. 6.
Nam cum cælicolis impia bella geris.
Quod Superi statuêre, ratū manet omne per æuum, „
Hoc contra poterunt Regia sceptra nihil. Prou. 21.

Nam

Nam licet atroci ſint multi clade perempti,
Nulla tamen noſter puſio fata tulit.
Exod.1.2. *Sic rector Phariæ moderans telluris habenas,*
Hebræos pueros perdere iuſsit aquis.
Perdidit haud paucos Nili ſeptemplicis vndis,
Omne genus Tharidûm perdere poſſe ratus.
Aſt illam cladem Moſes euaſit, eamq;
Eſt vltus, Pharios dum mare perdit aquis.
Illum ſeruabat lepidæ præſtantia formæ,
Qua viſa Regis filia mota fuit.
Pſal. 44. *At noſtro puero forma certare venuſta*
Qui meritò poſsit puſio, nullus erit.
Vt iuuit pueri blandos me cernere vultus!
Vt curas animo pellere ſæpe ſolet!
Diuinos radios non raròpectore ſenſi,
Oſsibus hos ſenſit clauſa medulla meis.
Hinc igitur prima eſt mihi viſa redire iuuenta,
Gaudia ſed doleo tam citò rapta mihi.
O vtinam dentur tam longæ tempora vitæ,
Vt reduces ſaluos cernere ſalua queam.
Ante obitum ô detur mihi pignora cernere cara,
Præ quibus in vita nil ſcio dulce magis.
Tunc mihi iucundum fuerit concedere fatis,
Viuendi ſpacium nam breue forſan erit.
In ſomnis vigilans reditum deſidero veſtrum,
Exoptoq; animo pignora cara meo.
Sed confido meis ſucceſſum haud defore votis,
" *Præbet namque aures in pia vota Deus.*

Deti-

Detinet Hermopolis vos istic longius æquo;
Dum careo vobis, vita molesta mihi est.
Stamina spero truci fore mox resecanda tyranno;
Tunc vestri dabitur copia grata mihi.
Interea commendo tibi natam atque nepotem,
Vt tuearis eos, cum quibus ipse Vale.
Ex Nazareth.

Argumentum quartæ Epistolæ.

Multa Sacerdoti super exilioque malisque,
Quæ passa est, memorat, iamque redire cupit.

MARIA ZACHARIÆ.

EXtellure venit Pharia, venerande sacerdos,
Littera fortunæ nuncia fida meæ.
Optatæ sobolis natæ tibi nomine nuper
Gratabar, quòd sim stirpe propinqua tibi.
Nam magnum specimen virtutum pusio præbet, Lucæ 1.
Magnum quisque virum colligit vnde fore.
Et mihi non modicè tunc fortunata videbar,
Cùm me respiceret cælica ab arce Deus:
Intactæq; vterus cælesti prole tumeret,
Et parerem, mundi qui reparator erit:
Ast hæc perpetuis vitiantur gaudia curis, Lucæ 2.
Nulla dies curis non comitata venit. „
Infanti, metui, frigus brumale noceret,
Cùm casa confugium vilis inopsq; foret.

H Quæ

Quæ quamuis fuerat ventorum peruia flabris,
Res tamen eximias cernere digna fuit.
Nil tanto dignum puero, nil vsibus aptum
Amborum, poterat ſuppeditare caſa.
Sed pia cura Dei rebus ſubuênit egenis,
Nec paſſa eſt quidquam deeſſe puerperio.
Matth. 2. *Reges namque Magi venientes Solis ab ortu,*
Donârunt puero regia dona meo.
Quæ releuamen egeſtatis prædulce fuêre,
Nobis, quod ſatis eſt, proſpiciente Deo.
At Bethles pueros Herode iubente necare,
Quotquot ſugebant vbera matris adhuc;
Admonitoq; viro, Pharias properaret ad oras,
Saluus vt euadat tanta pericla puer;
Immenſus dolor inuaſit præcordia noſtra,
Sollicitam reddens, exanimansq; metu.
Tam charo capiti metuebam mille pericla,
Quæ tam longinquum gignere poſsit iter.
Non hærere igitur patrijs in ſedibus auſam
Multa nocte fugam iuſsit inire metus.
Omnia, quantumuis mihi chara, relinquere iuuit,
Tam charum lædant dum mala nulla caput.
Ergo Parætonias dulci cum pignore ad oras
Conceſsi, charo coniuge freta duce.
Hic ſecura mali nunc exulo, nec mihi quidquam,
Dum meus eſt ſaluus puſio, ferre graue eſt.
Me deſiderium patriæ, me ſæpe meorum
Sollicitat, quòd eis cogar abeſſe procul.

Sed me solantur coniux natusq; suauis,
Et faciunt, hæc vt sit mihi ferre leue.
Plus mouet impïetas felesq; canesq; colentum, Esaiæ 2.
Atque boues, quos hæc gens putat esse deos.
Quodq; magis risu dignum quis dixerit esse,
Porrum & cepe colunt, Numina vera rati.
In mortale genus cadit heu tam deuius error,
Credat vt esse deos, quæ ratione carent?
Posthabeatq; Patrem cælestem animantibus vllis?
Hæc sacris venerans, hinc bona quæque petens.
Non illusurum mortali dæmona spero
Esse diu generi, respiciente Deo.
Instat enim interitus simulacris proximus, atque
Quo redeat pietas publica, tempus adest.
Namque obmutescunt vanissima numina diuûm,
Mortales miseris ludificata modis.
Quodq; magis mirum dicas, delubra repente Esaiæ 19.
Fracta Dei aduentu multa videre fuit:
Agnouêre Creatorem Dominumq; volucres,
Carmina fundentes gutture blanda suo.
Floribus arrisere suis viridantia prata,
Nullaq; non arbor vertice pressa fuit.
Blanditi puero fluuij sunt murmure blando,
Et Zephyris solito blandior aura fuit.
Insuper & Nilus salienti flumine plausit,
Gaudia sublatis testificatus aquis.
Hæc cernens tacito gaudebam pectore mecum,
Ista sciens fieri non sine mente Dei.

Exilium fero non ægrè, nam barbara gens hæc
Sit licet, obſequijs nos tamen ipſa fouet.
Æternumq́ licet pauci nouêre Tonantem,
Eſaiæ 31. *Spero tamen claros relligione fore.*
Gen. 49. *Hic olim Iſacidas longùm latitare coëgit,*
Seruitiumq́ pati, non toleranda fames.
Qui ſummum interea coluerunt rite Tonantem,
Hosq́ penes manſit relligionis honos.
Vnde manent Pharijs pietatis ſigna relicta,
Tempore progreſſo ſit vitiata licet.
Proderit & genti pueri præſentia Chriſti;
Quæ Sol cunque poteſt cernere, purgat ea.
Sæpe ſolum natale gemo patriosq́ penates,
Et mecum tacito talia corde queror:
Quando erit, vt redeam, cæleſtia iuſſa ſecuta,
Ad patrias ſedes, vt loca ſancta petam?
Vt teq́ vxoremq́ tuam natumq́ ſuauem,
Sæpe Deum, detur cernere poſſe, precor.
Nam nunc Hermopoli plus ſextus labitur annus,
Dum dulci patria cogor abeſſe mea.
Hac igitur libuit te compellare tabella,
Quando ſecus fandi copia dempta mihi eſt.
Exilium noſtrum confido non fore longum,
Et me viſuram teq́ laresq́ meos.
Hoc faxit rerum Sator, & cum coniuge chara
Det placido ſenio vir tibi magne frui.

Hermopoli.

Argu-

Argumentum quintæ Epiſtolæ.

Multa ſuo nato metuit diſcrimina mater,
Atque rogat, linguæ ſit moderamen ei.

ELISABETHA IOANNI.

Mittitur ex tectis tibi littera lecta paternis,
Sollicitæ matris ſcripta tremente manu.
Hac tecum fari viſum eſt, & pectore quædam
(Quando aliter nequeo) pandere clauſa tibi.
Nulli credibile eſſe reor, dulciſsime nate,
Quot dederim gemitus, fletibus ora madens;
Quòd ſine prole mihi iuuenilis fluxerit ætas,
Et ſterilis notis ſim vocitata meis. Lucæ 1.
Sæpe pudore graui fugi commercia vulgi,
Monſtrari digitis, ceu maledicta, timens.
Sum rata non nunquam ſcelus admiſiſſe pudẽdum,
Ob quod ego iubear tam graue ferre probrum.
Fundendisq́ue ideo precibus, votisq́ue vacaui,
Cælicolũm Regem flectere poſſe rata.
Ergo diu ſterilem qui Saram, quiq́ue Rebeccam Geneſ. 15. Geneſ. 25.
Reſpexit tandem, teq́ue venuſta Rachel; Gen. 30.
Quiq́ue Annæ ſterili clarum pietate prophetam, 1. Reg. 1.
Poſt crebros gemitus & pia vota, dedit;
Me quoque reſpiciens, optata prole parentem
Fecit, & afflictæ ſuſtulit omne probrum.
Quiſquis amicitiæ fuerat mihi fœdere iunctus, Lucæ 1.
Gaudebat, nobis omnia fauſta precans.

Vbera grandæuæ distendi marcida lacte,
Vicinis res est visa stupenda meis.
Cor mihi tunc demum est longo mœrore solutum,
Et tecum reddi visa iuuenta mihi.
Insuper & muto genitori lingua soluta est,
Et pœana Deo protulit ore pio.
Præterea cecinit præsago corde futura,
Euentus quæ nunc vera fuisse probat.
Sed de te mihi speratis breuiora fuêre
Gaudia, & obrepens sustulit illa dolor.
Nam loca vasta puer petijsti matre relicta,
Concedens genio gaudia nulla tuo.
Matth. 3. Nam tenui victu castigas membra, locustis
Melleq́ue contentus, quod loca vasta ferunt.
Pocula, quæ valeant corpus releuare fatiscens,
Exhorrens, mauis fonte leuare sitim.
Quaq́ue artus tegeris macilentos veste, cameli
Est tegmen rigidum, duritiaq́ue premens.
Pellicea zona quoque lumbos cingis, humiq́ue
Nocte cubas, somnus lumina quando premit.
Reddit, quam seruas (vitatis vrbibus) istic,
Nomine sollicitam dura diæta tuo.
Priscorum vatum duxisse haud arbitror vllum
Tam duram vitam, dum pius esse studet.
Ah corpus nimis afflictas, quod more tumentis
Iob 14. Vanescit bullæ, ceu leuis vmbra fugit.
Plus quinis lustris, loca dum deserta peragras,
Aspectu fraudor colloquioq́ue tuo.

Quare

Quare discrucior, cùm sit solamen ademptum,
Quod caperet matris sera senecta tuæ.
Si sacris Solymæ faciundis rite vacares,
(Quo pater est functus munere) in æde sacra;
Interdum foret effætæ medicina senectæ
Aspectusq́ tuus, colloquiumq́ tuum.
Absentis nati si tangor mater amore,
Haud mirum, cùm me curua senecta premat.
Hoc desiderium tamen est me vincere iustum,
Hæc tibi si cæpta est vita iubente Deo.
Quæ dixi, me sollicitant non rarò, sed angit
Libertas linguæ me magis ista tuæ.
Impietatis enim reprehendere diceris omnes, Lucæ 3.
Obijciens vitæ crimina cuique suæ.
Quin & primores Solymorum carpere lingua
Liberiore soles, relligione graues.
Quodq́ magis doleo, non parcit Regibus ipsis, Matt. 14.
Taxans illorum crimina, lingua tua. Marci 6.
Ne tibi veridicæ vertant malè spicula linguæ,
(Quod metuo, careat pondere) sæpe precor.
Nulli non odiosus is est, qui crimina carpit, "
At Reges carpi non sua facta volunt. "
Esaias vates à vertice sectus ad imum est,
Quòd fuerit veri præco, grauisq́ minis.
Sed nec Zachariam Domini defenderat ædes,
Quin rigidis petris obrueretur ibi.
Quid reliquos memorem Vates, quos sanguine fuso 2.Par.24.
Sustulit è viuis lingua proterua nimis? Matt. 23.

Sic & Thesbitæ fuerant conuicia Vati
3.Reg.18. *Allatura necem, ni celeraſſet iter.*
Cùm mente hæc reputo, gelida formidine ſanguis
Diffugit, & trepidus concutit oſſa pauor.
Si tibi tale quid eueniat, ſupereſſe recuſem,
Inſtat enim vitæ meta ſuprema meæ.
Incolumem nobis ſtellantis rector olympi
Seruet nate diu te Deus, atque Vale.
Ieroſolymis.

Argumentum ſextæ Epiſtolæ.

Baptiſtæ vinclis inſultat adultera ſtricto,
Eius & à morſu non timet vlla mala.

HERODIAS IOANNI.

HAud oblita tui tabulas Herodias ad te
Has mitto, rara vir pietate grauis.
Atque vtinam linguæ potuiſſes fræna tenere,
Clarior egregia relligione fores.
Matth. 3. *Sed quia mortali potuiſti parcere nulli,*
Lucæ 3. *Quin in eum vomeres ore venena tuo;*
Euênit tandem, quod cor ſperauerat antè,
Cùm foret ira flagrans ob maledicta mihi.
Matt. 14. *Quid tibi Ioannes nunc confert libera lingua?*
Mar. 6. *Scilicet vt clauſum carcere vincla premant.*
Si non elleboro tibi opus foret, haud ita habenas
Laxaſſes linguæ, ceu furioſus homo.
E vulgo nulli tua parcere lingua ſolebat,
Lucæ 3. *Gaudens quemque trucis rodere more canis.*

Quin

Quin & summates vrbis pietate verendos,
Ausus, vt impuros, es lacerare viros.
Vipereos quos non puduit te dicere fœtus,
Dignos, quos Phlegeton post sua fata cremet.
Nullum censebas præ te iustumq́; piumq́;,
Præ te nullus erat relligione grauis.
Lingua proterua tibi dum nõ malè verteret ergo,
Et taciti ferrent scommata quisque tua;
Vibrare in Reges mordacis spicula linguæ Matt. 14.
Sperasti vates vane licere tibi.
Quis docuit, Reges genuino rodere dente, Exod. 22.
Te miser, & multo perfricuisse sale? Actor. 23.
Hoc impunè tulit nemo: conuicia multis
Iactata in Reges causa fuêre necis.
Rex se proscindi patiatur scommate vulgi?
Despiciat Regem quilibet absque metu?
An tibi, Zachariæ quòd sis natalibus ortus,
Intrepidos animos illa propago dedit?
Fata Sacerdotum nunquam plus tuta fuisse,
Qui linguæ frænum non habuêre suæ;
Quam vel cuiusuis media de plebe creati,
Te scriptura potest sacra docere satis.
Turba Sacerdotum gladijs, mandante Saüle, 1. Reg. 22.
Est cæsa, & Nobe tota cremata fuit;
Quòd Regi famulum fuerint præponere visi,
Quodq́; ab eis non sit præstita firma fides.
Non mihi Dauidis tolerantia magna probatur, 2. Reg. 16.
Qui placidè petras & maledicta tulit.

3.Reg.12. *Plus Solomone ſatum probo, qui compeſcere flagris*
Cenſebat vulgus iuſtius eſſe ferox.
3.Reg.21. *Sic quia non ceſſit Regi Nabuthus Achabo,*
Occubuit, miſerum plebe petente petris.
Non tamen in Regem conuicia torſerat vlla;
Nec Regina fuit ſcommate læſa viri.
3.Reg.18. *Quos quia diſtrinxit mordaci ſcommate Vates*
Thesbites, dubius penè ſalutis erat.
3.Reg.19. *Qui niſi præcipiti curſu loca ſola petiſſet,*
Non euaſurus triſtia fata fuit.
2.Par.16. *Reprendens Aſam Iudeæ ſceptra gerentem,*
Crura Hanani ſtringi compede dignus erat.
Et tibi profuerit nil ſtirps, aut munia patris,
Nec vitæ pietas credita magna tuæ.
Marc. 6. *Sed neque, quòd vulgò magnus dicare propheta,*
Compedibus duris eripiendus eris.
Non tibi diſcipuli poterunt ſuccurrere pauci,
A vulgo diſces nil opus eſſe tibi.
Quod Regi placuit, non plebs infringere tentat;
Nec proceres, carpſit quos tua lingua, fauent.
Sæpe tuis monitis facilis Rex præbuit aures,
Cùm tibi mordendi nulla libido foret.
Cùm verò amborum cœpiſſes rodere vitam,
Incaluit bilis pectore clauſa meo.
Vindictæ (fateor) rationem quærere cœpi,
Qua niſi completa, non erit vlla quies.
Hæc mihi continget, cùm iam ceruice reſecta,
Os effrene tuum deſinet eſſe dicax.

Fœmi-

Fœmineas artes non perſpexiſſe videris,
Omnia quæ faciunt, quæ voluêre, rata.
Tutiùs irrites vrſam fuluamq́; leænam,
Cùm iaculis fixo quæris abire mare;
Quàm quos iunxit amor, valeas diſiungere citra
Grande malum, & capitis certa pericla tui.
Quos vtrimque ligat vinclum flagrantis amoris, „
Non vis diuellat, nil maledicta queant. „
Fortè vir, vt qui ſit nobis plus fortis, amore
Si flagret, offenſus diſſimulare queat.
At mulier facibus telisq́; Cupidinis icta,
Si ſit læſa, ſolet lædere mille modis.
Horridior ruſco, Lernæa immanior hydra „
Eſt, vbi commota fœmina bile flagrat. „
Tene indiuiduas bone vir fugiębat amantum Eccle. 25.
Eſſe voluntates? velléque nolléque idem?
Eſt eadem mecum Regis ſententia fixa;
Quod volo, vult & Rex: quod vetat ille, veto.
Quid ſceptro liceat Regali, quamq́; tremendum Pro. 20.
Debeat eſſe, decet te meminiſſe prius.
Dediſces iſtic maledictis lædere Reges,
Obmuteſcetq́; os, quod fuit antè loquax.
Iſtic viue diu, ſi viuit carcere clauſus,
Et donec pendas ſanguine facta, Vale.
Ex aula Regia.

Argumentum ſeptimæ Epiſtolæ.

Languenti fratri, Chriſtum rogat anxia Martha,
Auxilium ſolita pro pietate ferat.

MAR-

MARTHA CHRISTO.

Littera Bethane venit hæc trepidãter ab vrbe,
Christe Dei proles indubitata Patris.
Scribendi mihi causa fuit iustissima, languor
Intentans fratri fata suprema meo.
Ioan. 11. *Lazarus heu noster defectis viribus æger*
Decumbit lecto, frigore membra tremens.
Poscit opem morbus, quoniam incrudescit in horas;
Tu nisi subuenias, spes labefacta cadet.
Sedula nil ægro Medicorum industria confert;
Quæ prodesse solent pharmaca, sola nocent.
Non morbũ Medicina leuat, neque lenit, at auget,
Et labor humanus nil opis addit ei.
Denique tanta mali vis est, vt gliscat in horas,
Et fratri metuat quisque pericla meo.
Non igitur superest morbi spes vlla leuandi,
Tu nisi respicias Christe, malumq; leues.
Semper es ingenti fratrem complexus amore,
Hic faciat fratris te meminisse mei.
Hoc paribus votis ego te & germana rogamus,
Fratris vt hoc tristi commoueare statu.
Omnibus est exprompta salus, quicũque requirunt
Auxilium miseri supplice voce tuum.
Matth. 11. *Auditum surdis, & captis lumine visum*
Lucæ 7. *Restituis, claudos protinus ire facis.*
Luc. 5. 17. *Nec dedignaris lepra mundare leprosos;*
Te quiuis morbus præcipiente fugit.

Dæmo-

Dæmonas expellis, non ausos hiscere contrà; Lucæ 11.
Edictis parent, corripiuntq; fugam. Matt. 15. Mar. 1. 5.
Ne repetam tempestates siluisse marinas, Matt. 8.
Parentes iussis imperioq; tuo. Lucæ 8.
Testantur satis hæc te Patre Tonante creatum;
Et factu promptum quidlibet esse tibi.
Insuper imperitas quoque morti, fataq; cedunt, Osee 13.
Si verbo iubeas cedere fata, tibi.
Cùm natus viduæ Naimitidos esset humandus, Lucæ 7.
Defuncto rediit Numine vita tuo.
Sic properis fatis Iairi filia rapta
In vitam rediit, te rogitante Patrem. Matt. 9.
Promptius ergo tibi quemuis dispellere morbum,
Et facere, vt valeat languida membra trahens.
Hæc faciunt, vt spem foueamus egoq; sororq;,
Nempe fore, vt fratri sit reparanda salus.
Vnicus est nobis frater, generisq; columna;
Omne decus nobis, hoc pereunte, cadet.
Hinc fit, vt ægroti plus discruciemur amore,
Sollicitetq; salus eius vtramque magis.
Hei mihi, quòd fuerit Procerum væsania dira
Vltra Iordanem cedere causa tibi. Ioan. 10.
Quò non liuor edax mortalia corda propellit?
Cæcat eos, qui se cernere cuncta putant.
Non gens tot signis visis malè grata mouetur,
Humanas vires quæ superare vident.
Si non Primorum cessisses Christe furori,
(Mitis vt es, nulli non nisi recta volens)

Non

Non languore graui correptus Lazarus esset,
Omnia qui miseri membra tremore quatit.
Non nos sollicitas pietas & cura tenerent,
Nostráque non luctu turbida tecta forent.
Aut si tentandus fuerat languore, periclum
Instaret nullum, quo periturus erat.
Nam morbum præsens pepulisses protinus omnem,
Vel verbo, præ quo pharmaca nulla valent.
Et quia præsentem monet accelerare medelam,
Qui fratri morbus certa pericla parat;
Auxilium implorare tuum Medice optime cogor,
Vt fratrem serues (quod potes) antè meum;
Quàm fato domitus Stygias descēdat ad vmbras,
Et miseræ iam sit spes mihi nulla super:
Vt verum fatear, te sollicitare vetabat,
Nimirum veritam te reuocare, pudor.
At vicit trepidum pietas fraterna pudorem,
Omnem namque moram languor abesse iubet.
Ergo tibi fidum non nunc oblitus amicum,
Fer, sine qua nequeat viuere frater, opem.
Sunt tibi Summates infensi plurimi, eorum
Quòd vitam carpas, flagitijq́; notes.
Lucæ 4. *Præcipitare quidem nuper de monte parabant,*
Cùm vitæ obijceres crimina cuique suæ.
Sed quem ceperunt, fuerat labor irritus omnis,
Pro. 21. *Numen enim contra quid queat omnis homo?*
Mortis enim domitor medios pertransijt hostes,
Ceu leo perrumpit retia tensa sibi.

Te quo-

Te quoque sunt alias moliti lædere sæpe, Ioan. 5. 8. 10.
Sed nihil egerunt improbitate sua. Lucæ 19.
Nolentem poterit nunquam te lædere quisquam, 20.
In te coniuret vis inimica licet. Ioan. 19.
Ergo metu posito, te confer protinus ad nos,
Fer fratri celerem, qui potes vnus, opem.
Namque ideo te stellifero demisit olympo,
Æternus rerum Conditor atque Parens; Lucæ 19.
Vt sis indubitata salus mortalibus ægris,
Et quos infecit culpa, medela fores.
Si mihi nota tua est bonitas communis in omnes,
Lazaron vt serues, accelerabis iter.

Bethaniæ.

Argumentum octauæ Epistolæ.

Dilecto Nato Procerum molimina dira
Sollicitæ Mariæ prouida cura timet.

MARIA IESV.

Ittera missa tibi venit optatura salutem, (L)
Humani generis maxima Christe salus.
Ad te cura tui cogit me scribere, quando
Te compellandi copia dempta mihi est.
Verius oraclo iamdudum, nate suauis,
Experior, multis, quæ fero, docta malis,
Esse, quod afflatu Simeon mihi Numinis actus Lucæ 2.
Prædixit, fore, vti cor secer ense meum.
Bethlæos pueros Herode iubente necare, Matth. 2.
Exanguis fueram nomine facta tuo.

Infan-

Infandos trepido cruciatus pectore sensi,
Cùm metus ad Pharium cogeret ire solum;
Cladis vt immunem te saltem barbara tellus
Seruaret, patrio plus tibi fida solo.
Firma quies animo turbato haud contigit antè,
Quam moriens pœnas impius ille dedit.
Lucæ,2. *Amissum propter te, cura dolorq́; coquebant*
Sollicitum pectus nocte dieq́; meum.
Cura cibi, potus, somni quoque fugerat omnis,
Nam nusquam inuentum sum perijsse rata.
At tandem Procerum in medio, sub fornice tẽpli,
Conspexi celso te residere throno.
Hic igitur luctus biduanus gaudia versus
In maiora fuit, quàm fuit antè dolor.
Quid dicam, quoties aliàs mihi semina luctus
Præbueris, metuo dum mala mille tibi?
Semper enim metuo, quæ te mala lædere possint,
Ne te corripiant, obijciantq́; neci.
At quæ sollicitat mea nunc præcordia cura,
Tanta est, vt nequeam pectore ferre diu.
Ioan. 11. *Postquam namque tuus monimento Lazarus à te*
Prodijt excitus, quo tumulatus erat;
Multis est Solymis, penes est quos summa potestas,
Ob tua succensus facta stupenda furor
Famæ namque decus passim decrescit eorum,
Dum vulgus nomen tollit in astra tuum.
Hinc excandescunt, hinc liuor gliscit eorum
In te tantus, vti tollere quisque paret.

In te

In te coniurant, statuunt te perdere cuncti,
  Prendere si quo te tempore fortè queant. Luc. 19.
Huc ope nituntur summa: nil Pascha moratur Ioan. 11.
  Instans, festa dies relligione patrum.
Sic furit ira lupi, visaq; exæstuat agna,
  Dente voraturi, si sibi detur, eam.
Nunc igitur cedens illorum nate furori,
  Bis denis socijs hinc comitatus abes.
Atque Ephrē latitas, Solymis procul atque parēte,
  Ne magis irrites, quos furor asper agit.
Non humana potest te vis, non dæmonis artes Psal. 90.
  Lædere, coniungant robur opemq; licet. Ioan. 10.
Iussu sæpe tuo Stygiæ fugêre cateruæ, Luc. 4. 11.
  Et trepidæ vires extimuêre tuas. Mat. 9. 12.
Quem numerosa virum miserè vexabat Erinnys, Lucæ 8.
  Arctatum vinclis, compedibusq; grauem; Marc. 5.
A furijs liber mentem visumq; recepit,
  Auditumq;, Deum te rogitante Patrem.
Te dare præcipitem celso de vertice montis, Luc. 4.
  Perdere te studuit gens malè sana petris. Ioan. 8.
Sed miseri sese vano torsere labore,
  Cùm tibi nolenti nemo nocere queat.
Quid memorem fluctus te composuisse marinos? Marc. 6.
  Et plantis solidam substituisse viam? Ioan. 6.
Qui verbo solus potes aspera fata domare, Matt. 14.
  Conatus hominum composuisse potes. Matth. 9.
Hæc mecum tacitè reputanti cura recedit, Lucæ 7.
  Subsiditq; metus, qui grauis antè fuit. Ioan. 11.

At pietas materna tamen timet omnia tuta,
Et metuit nunquam non mala mille tibi.
Si Solymam repetas instantis tempore Pascha,
Illorum rabies est metuenda tibi.
Haud vllis meritis flectes adamantina corda,
Nec signis, doceant te licèt esse Deum.
In te si rabies illorum sæuiat, atque
Orbet me nato, vita molesta foret.
Orba meo nato, renuam pòst esse superstes,
Cùm foret ereptum, quod iuuet, omne mihi.
Sollicitæ mi nate tuæ miserere parentis,
Quodq́; potes, vitæ quæso pericla fuge.

Argumentum nonæ Epistolæ.

Nititur à diro studio reflectere Iudam,
Ne quò sacra fames pergere cogit, eat.

MAGDALENA IVDÆ.

REddidit attonitam vulgatus rumor Iuda,
Et fecit gelido me trepidare metu.
Non igitur potui non ad te scribere, vt illud
Non tentes, quò te tristis Erinnys agit.
Namque auri te sacra fames hortatur, IESVM
Vt perdas Dominum proditione tuum.
Nec quod fama canit, vanũ aut fictũ arbitror esse,
Cùm soleas alias æris amore capi.
Ioan. 12. *Vnguine namque pedes mensæ accumbentis IESV*
Cùm demulcerem, murmuris autor eras.

Tollebas

Tollebas animos, & turgens bile fremebas,
Prætexens ficto triste colore scelus.
Præstare aiebas liquidos hos vendere odores,
Vt lecto pretio turba fruatur inops.
Non fuerant curæ tibi, quos grauis vrget egestas,
Ast hinc captabas impia lucra tibi.
Spe quorum quia eras fraudatus, dira cupido
Sarciat vt damnum, suasit adire scelus.
Constituis natumq; Dei, fidumq; Magistrum
In mortem pretio tradere, & arte mala. Matt. 26.
Namque Sacerdotum proceres, vrbisq; senatum Lucæ 22.
Accêsti, vt facias proditione lucrum.
In terris facinus nemo est immanius ausus,
Tale nihil Phœbi vidit ab axe iubar.
Hoc si flagitium facias, quod pectore versas,
Non metues capiti, fulmen ab axe, tuo?
Non metues, vltrix ne tellus fortè dehiscat,
Viuus vt in Stygios præcipitere rogos?
Aut ne Tisiphone facibus te terreat atris?
Aut laqueo vitam finiat illa tibi?
Tantáne te cepit meritorum obliuio Iuda,
In te quæ larga contulit ille manu?
Te præceptor Apostolico decorauit honore, Matt. 10.
Multaq; cum socijs edere signa dedit. Marc. 3.
Ne vitij foret innati tibi nulla medela, Ioan. 12.
Gestandi loculos copia facta tibi est.
Sed nullis est officijs expleta Charybdis,
Cor adeo obsedit dira Megæra tuum.

Illa igitur, tacito quæ nunc in pectore versas,
Quàm facias, sana discute mente prius.
" *Nil temere attentes, nunquam fecisse quod optes,*
" *Sed frustra, misero cùm sit adempta salus.*
" *Nullum crede scelus mansurum semper inultum;*
" *Rebus in infandis & voluisse graue est.*
Tartareas pœnas ne somnia vana putares,
Matt. 25. *Arbitror à Christo te didicisse satis.*
Lucæ 16. *Cùm tibi defuerit nihil hactenus, omnia largè*
Lucæ 22. *In finem vitæ, suppeditante Deo;*
Cur auri malesuada fames excæcat, & atris
Te cruciat curis, præcipitemq́ue trahit?
Tempore cùm tanto, miti faciliq́ue magistro
Sis vsus, domino cur mala tanta struis?
Tres anni docuêre satis non esse creatum
Semine mortali, sed genitore Deo.
Audisti interea toties oracula sancta,
Factaq́ue vidisti vix habitura fidem.
Cur horum velut oblitus, crudelia fata
Lucæ 10. *Innocuo domino munificoq́ue paras?*
Intuitus Christi modicus, diuinaq́ue verba
Sic incenderunt pectus amore meum,
Vt me non moueant fallacis gaudia mundi,
Quæ præstrinxerunt lumina sæpe mea.
Lucæ 7. *Fortè ingressus erat Pharisæi tecta Simonis,*
Vt sumenda grauem pelleret esca famem:
Hic rumor simulatque meas peruenit ad aures,
Illico mens illuc me properare iubet.

Non

Non me terrebant intrare pudórque metusq́;,
Non Procerum vetuit triste supercilium.
Sed complexa pedes lacrymis sine fine rigaui,
Nec flauis piguit tergere deinde comis.
Osculaq́; extersis auidè pia figere plantis
Iuuit, & vnguentis vngere Achæmenijs.
Oraui quoque, flagitio me purget ab omni,
Quo polluta fuit pristina vita mihi.
Indulta venia, vitæ delicta prioris
Exosa, in Christum mens mea tota vacat.
Excidet ille meo nunquam de pectore, donec
In nostro calidus corpore sanguis erit.
Non me diuellent ab eo discrimina vitæ;
Quod iuuet in vita, nil scio, præter eum.
Nititur hoc vno mea spes fiduciaq́; omnis,
Hic est confugium deliciumq́; meum.
Non ergo tibi perniciem cladémq́; perennem
Accerses, si sit vel tibi mica salis.
Consilium muta, sceleratamq́; exue mentem;
Pro magno lucro sit tibi lenta mora.
Qui sequitur præceps hortamina prima furoris, "
Post stolidum facinus sæpe dolere solet. "
Insontis bonitas furiatos comprimat ausus;
A cœptis, Erebi terreat ignis edax.
Ne dubita veniam sceleris sperare nefandi;
Hac potitur, quisquis supplice mente rogat.
Fons indeficiens pietatis cùm sit IESVS, Zach. 13.
Concedet veniam: tu resipisce modò.

Matt. 18. *Fidus pastor ouem dumeta per aspra vagantem*
Lucæ 15. *Sollicitè quærit, quam periisse putat.*
Inuentamq́; humeris imponit lætus, eamq́;
Ad fæcunda herbis pascua rursus agit.
Sic peccatoris quæritq́; cupitq́; salutem
Christus, ei crimen quando dolere videt.
Oblitus veteris culpæ, dignatur eundem
Hæredem regni parte locare sui.
Scis Christi multos ex sectatoribus esse,
Quorum vita prius crimine fœda fuit.
Quos tamen, in melius conuersa mente, recepit,
Iamq́; Deum pura relligione colunt.
Te quoque (pœniteat modò facti) crimine tanto
Absoluet, primo restituetq́; gradu.
Lucæ 19. *Zacchæus Christi, bona cuncta reliquit amore;*
Matth. 9. *Matthæus reliquum nil sibi fecit opum.*
Ambo alacres, multiq́; alij vestigia Christi
Non dubitauerunt per mala multa sequi.
Tristibus inuictus tot eum comitatus es annos,
Nunc prodes, tenuis victus amore lucri?
Lucæ 22. *Captus es haud dubiè pellacis dæmonis astu,*
Ioan. 13. *Dum te nummorum spe satiare parat.*
Heu te præstigijs, & spe deludit inani,
Vt Phlegetontæis postmodo perdat aquis.
Sed resipisce prius, quàm te dementia perdat,
Et Dominum veniam supplice voce roga.
Nam resipiscenti ignoscet clementia Christi,
Hanc implorabis, si sapis, atque Vale.

Argu-

Argumentum decimæ Epiſtolæ.

Solatur Petrum peccamina fœda gementem,
Atque pijs monitis ad meliora vocat.

MARIA PETRO.

QVAE natus meus antè ſuis oracula ſæpe Matt. 16. 20.
Dixerat, euentus vera fuiſſe probat. Lucæ 18.
Immenſos nobis pepererunt illa dolores, Ioan. 16.
Hinc noſtræ lacrymis immaduêre genæ.
Et quamuis potius ſit opus ſolamine mæſtæ,
Vt quæ ſim nato nunc viduata meo;
Cura tui tamen hortatur me ſcribere Petre,
Scilicet vt mæſtum mæſta dolore leuem.
Indulges lacrymis, pectúsque doloribus angis, Matt. 26.
Quod promiſſa fides ſit violata tibi. Lucæ 22.
Magna nimis fuerat, quæ te tentatio vicit,
Quæ potuit pactam tollere corde fidem.
Sunt tibi viſa tui miracula multa Magiſtri,
Eſſe DEO natum quæ docuêre ſatis.
Quid memorẽ morbos, Medicorũ pellere quos ars Ioan. 5.
Non potuit, pulſos voce ſalutifera? Lucæ. 8. Ioan. 9.
Viuifico verbo ſic multis lumine caſſis, Marc. 8.
Te coram atque alijs, reddita vita fuit. Matt. 20. Lucæ 18.
Plus tamen in celſi ſua numina vertice Thabor Matt. 17.
Prodidit, illuſtris cùm ſibi forma foret: Marc. 9. Lucæ 9.
Phœbæis radijs facies cùm clarior eſſet,
Veſtimenta forent candidiora niue.

Rem tantam spectare tibi natisq́ Salomes,
Vatibus & binis post sua fata datum est.
Mirum igitur, culpæ te succubuisse pudendæ,
Lucæ 21. *Oblitum fidei, non semel ore datæ.*
Infandum scelus est Dominumq́ Deumq́ negasse,
Atque suo capiti dira rogasse mala.
Hanc tamen ob causam veniam ne criminis huius
Despera, vacuus pectore, mentis inops.
Matt. 27. *Hoc dirum ad laqueum malesanum traxit Iudam,*
Acto. 1. *Et Phlegetontæos fecit adire lacus.*
Qui si delicti, facinus crudele perosus,
Quæsisset veniam, nil dubitante fide;
Passurus fuerat nullam (sum certa) repulsam,
Seruatus nati pro bonitate mei.
Proditor exemplis, cæca nisi mente fuisset,
Multorum potuit discere id ante satis.
Cui sonti veniam se deliquisse fatenti
Abnuerat natus, non miseratus eum?
Matth. 9. *Matthæum Leui summo decorauit honore,*
Lucæ 19. *Zacchæiq́ pius tecta subire tulit.*
Matth. 11. *Tam pius in sontes fuerat, facilisq́ receptor,*
Lucæ 7. *Vt visus fuerit velle fauere malis.*
Ast auri furibunda fames præstrinxit Iudæ
Mentem adeò, vt sani viderit ille nihil.
" *Qui nullis demens monitis meritisq́ mouetur,*
" *Causa èst exitij, quo perit, ipse sui.*
Osee 13. *Tu verò fidei retinens in corde vigorem,*
Placandi firmam spem retineto Dei.

Lapsus

Lapſus es, vt lapſis ſuccurrere promptior eſſes,
Cùm Chriſti fuerit credita caula tibi. Ioan. 21.
Non poterant Chriſti, tibi quæ prædixerat antè Matt. 26. Ioan. 13.
Suprema in cœna, verba carere fide. Pſal. 118.
Euenit omne, Dei quidquid proceſsit ab ore, Lucæ 21. Ioan. 15.
Vnius indubiè ſunt rata verba Dei.
„ Viribus humanis nulla eſt fiducia firma,
„ Si modò diuina deſtituantur ope.
„ Fecit amor vehemens verbis diffidere Chriſti;
Ah notus fueras non ſatis ipſe tibi.
Sed ſimul atque ſacer Paracletus venerit arce
Miſſus ab ætherea, dixit vt ipſe Ioël: Ioël. 2.
Nutabunda ſuis firmabit pectora donis,
Nullius vt fati terreat illa metus.
Et ſic te ſancto ſuccendet amore tuoſq́,
Vt toti in Chriſti quiſque vacetis opus.
Iam tunc ſecuri metuetis nulla pericla,
Perferet intrepidus tormina quiſque necis. Act. 4. 5.
Te fecêre modò trepidantem verba puellæ, Matt. 26.
Ne tibi cum Domino mors ſubeunda foret. Lucæ 22.
Sed mox impauidus, generoſo pectore, Regum
Terrificas temnes deſpiciesq́ minas.
Dumq́ ſalutaris fidei pia dogmata trades,
Æternæ multis cauſa ſalutis eris.
In terrisq́ tibi prælustri nomine parto,
Accedes Superis poſt mala multa decus.
Expecta fretus venia, certusq́ ſalutis,
Poſt luctum ſpera gaudia magna tibi.

Matt. 16. *Nam quia firma fuit, ceu petra, fides tua Petre,*
(Qua Christo potuit gratius esse nihil.)
AEdificaturum dixit se Ecclesian isti
Innixam solidæ saluificæq́; petræ.
Quam vis nulla loco, Stygij nec dæmones vnquam,
Viribus admotis, præcipitare queant.
Inconcussa loco manet, atque immota manebit,
Dum face lustrabit Phœbus vtrumque polum.
Hinc Notus & Zephyrus, Boreas hinc spiret & (Eurus,
Non euersa tamē turbine tecta ruent.
Ceu pupilla, Deo curæ est: ita diligit, vt non
Cara magis sponso sponsa sit vlla suo.
Teq́; ideo sociosq́; tuos præfecit, vt illa
Omnibus in mundi sit celebrata locis.
Lucæ 22. *Id metuens dæmon hominum sæuissimus hostis,*
Vos cribrare, velut grana, paratus erat.
Sed Christi precibus persuasio firma manebit,
Perstabitq́; fides intemerata tibi.
Hæc in te non deficiet, neque deseret vllum,
Qui longa serie substituendus erit.
Ion. 21. *A Christo verò quia designatus es eius*
In terris custos præcipuumq́; caput;
Ne tibi displiceas delicti nomine, nec spem
Abijcias veniæ, quæ tibi certa manet.
Mitis vt in lapsos esses pòst, lapsus es ipse,
Quàm sit homo pronus crimē ad omne, memor.
In scelus hoc qui te lapsum resipiscere fecit,
Matt. 26. *Cùm te respiceret, numine nempe suo;*

Illico

Illico prouectum culmen curabit ad altum,
Cui Regum cedent aurea sceptra locum.
Hoc successores residebunt culmine, donec
Stabit, quam Christus tradidit ore, fides.
Hac te spe minimè fallace attollere visum est;
Hac fultus curis fac moderere tuis.
Namque, tulit verè resipiscens nemo repulsam,
Nec te laturum crede, diuq́; Vale.

Argumentum vndecimæ Epistolæ.

Cognati laudat dotes fidasq́; piasq́;,
Tradendæ fidei cura sit vna, monens.

MARIA IOANNI.

His tabulis clausam, dulcis cognate, salutem
Mitto tibi, quando cogor abesse tibi.
Te cuperem præsente frui, verbisq́; salutis,
Pectoris ex sacri quæ tibi fonte fluunt.
Hæc mihi mærenti solamina magna fuêre,
Saucia cùm curis pectora nostra forent.
Vt matrem natus, fido me corde colebas,
Cùm Solymis ageres, nil mihi deesse sinens.
Ceu natum genitrix, te sum complexa fauore,
Ornatum varijs dotibus esse videns.
Vt reliquas taceam, casti rata signa pudoris,
(Cuius amore flagro) grata fuêre mihi.
Et syncera fides, non fallens rebus in arctis,
Inq́; meum natum non labefactus amor.

Has

Has dedit ob dotes tibi multa arcana videre,
Mortali Christus matre, Deoq́; satus.
Ioan. 13. & 21. *Inq́; sacra cœna mysteria multa reclusit,*
Quorum mortalis vix queat esse capax.
Nimirum pectus super eius quando cubabas,
Percontans, quisnam proditor ille foret;
Qui furijs actus Dominum fidumq́; magistrum.
Traderet in fœdam proditione necem.
Ioan. 19. *Fecêre hæ dotes, vt pendens in cruce IESVS*
Custodem matris iusserit esse suæ.
His respondisti iussis iusteq́; pieq́;,
Nati quippe pij munere functus eras.
Nam consternatæ crudeli funere nati,
Præ cunctis alijs tu mihi fidus eras.
Verbis namque pijs consolabare dolentem:
Et flentem nati tristia fata mei.
Chari obitu nati præcordia nostra subibat,
Quàm magnum genitrix non tulit vlla, dolor.
Genes. 4. *Plorabat meritò miserabile funus Abeli,*
Gen. 37. *Mortalis generis non bene cauta parens.*
Plangebat grauiter pectus formosa Rebecca,
Cùm vestis nati sanguine tincta foret.
2. Reg. 21. *Et Resphæ fuerat flendi iustissima causa,*
In cruce cùm natos cerneret illa suos.
At me maiorem pia per præcordia luctum
Sensit nulla parens, nec feret vlla parem.
Quem mihi lenibas verbis, curaq́; fideli,
Mulcens alloquijs officijsq́; pijs.

Hæc

Hæc memori, donec ſpirabo, repoſta manebunt
Pectore; non illinc eximet vlla dies.
Momenti magni res eſt & rara repertu, „
Theſaurusq́; ingens, intemerata fides. „
Nam curis luctuq́; leuat variiſq́; periclis,
Quæ nos pro Chriſti nomine multa premunt.
Si ſinerent Euangeliumq́; fidesq́; docenda,
Gentibus vt cunctis certa ſit inde ſalus;
Te cuperem mihi firmum indiuiduumq́; ſodalem,
Atque tuo vultu colloquiiſq́; frui.
Sed celebrem fieri diuinum præſtat honorem,
Et duci populos ad pietatis opus.
Vt populis Aſiæ fidei pia ſemina tradas,
Expedit, & Chriſto pullulet inde ſeges.
Alma ſeges, læta virtutum fruge referta,
Quam ſanctum foueat Flamen, & imbre riget.
Per te Epheſus linquat, præſtat, ſimulacra deorum,
Atque Deum pura relligione colat.
Huc neruos intende tuos, huc nitere totus;
Proſpera ſuccedent omnia, dante Deo.
Chriſti præſidio confiſus nulla pericla, „
Quæ vitæ valeant damna parare, time.
Omnibus eripiet te (ceu confido) periclis,
Et placidæ vitæ tempora longa dabit.
Obſtrepat Hæreticus, tormentaq́; ſæua tyrannus
Intentet, damni nil tamen inde feres.
Horrida non moueant animum diſcrimina vitæ,
Nec triſte exilium, quod tibi cunque manet.

Dilecto

Dilecto nunquam dilectus deerit IESVS,
Athletam ſemper proteget ille ſuum.
Ergo propagandæ fidei ſit ſedula cura,
Gentibus hanc verbo trade, & epiſtolijs:
Omnibus vt reparata ſalus contingat, & vnum
Sectentur Chriſtum, qui coluère deos.
Sed quid calcar equo currenti ſubdere pergo,
Hanc tibi rem curæ cùm ſatis eſſe ſciam?
Nos tantis dirimi ſpacijs, ex parte moleſtum eſt,
Per quæ ſemper ero fortè dirempta tibi.
Quod nobis igitur coram præſtare negatur,
Sarciat hinc illinc littera ſæpe data.
Coniunctis animis hæc ſit ſolaminis inſtar,
Hac connectantur firmiùs, atque Vale.

Argumentum duodecimæ Epiſtolæ.

Explicat, innatum quanto teneatur amore,
Admonet, atque dolens ſæua pericla timet.

SALOME IOANNI.

M*Aternus me cogit amor tibi, nate ſuauis,*
Scribere, turbatus ſæpe dolore graui.
Namque tui deſiderio ſæpiſſime tangor,
Cùm mihi ſit dudum copia dempta tui.
Dilexi ſemper te, quippe ætate minorem;
Ingenij fuerat dos mihi grata pij.
Ioan. 13. *Præ reliquis quoque diſcipulis te ſemper amauit*
Verus homo noſtri factus amore Deus.

In te

In te quem magnum ſat declarauit amorem, Ioan. 19.
Dum iubet, vt matris ſit tibi cura ſuæ.
Vt taceam, tibi quod fratriq́ue Petróque videre Matt. 17. Lucæ 9.
In montem aſſumptis non memoranda dedit.
Eſſe Deum verum manifeſtis cernere ſignis,
Conceſſum eſt vobis, non ſine voce Patris.
Immanemq́ue necem cùm iam ſubiturus, in horto Matt. 26.
Pronus adoraret ſupplice voce Patrem,
Angoris teſtes, ſpectatoresq́ue fuiſtis, Lucæ 22.
Præreliquis frater, túque, Simonq́ue Petrus.
His alijsq́ue ſuum ſignis expreſsit amorem,
Quo te plus alijs viſus amare fuit.
Hic amor, & noſtræ ſtirpis communis origo,
Grandia poſcendi cauſa fuêre mihi.
Fecêre, vt tibi primatum fratríque rogarem,
Ignara, à Chriſto quæ rogitanda forent. Matt. 20.
Verſantem in terris cùm ſectarêre Magiſtrum,
Præſenti licuit te mihi ſæpe frui.
Et cùm ſtelliferas remeaſſet Chriſtus ad arces,
Te mihi cernendi copia ſæpe data eſt.
Tunc magna fuerat tibi conſuetudine iunctus Act. 3. 4. 8.
Petrus, dux cetus primus Apoſtolici.
Aſt Euangelicam quoniam vos tradere legem
Gentibus, & vitæ verba neceſſe fuit:
Non fuerat durum tibi linquere nomine Chriſti, Act. 13.
Cum Petro ſocio me patriosq́ue lares.
Vnde dolor vehemens ſubijt præcordia noſtra,
Quod frauder viſu colloquijsq́ue tuis.

Hunc

Hunc tamen affectum moderari cogor amoris,
Atque animo tacito iussa probare Dei.
Nam peragras vrbes Asiæ, ne semina sancta
Non fidei spargas atque salutiferæ.
Totus in hoc es, vti gentes errore reducas
A prisco, in rectam saluificamq́; viam.
Nec tibi sat lingua fidei præcepta docere,
Insuper & scriptis multa docere studes.
Hoc quoque nituntur socij per climata mundi
Matt. 28. *Dispersi, veriti nulla pericla necis:*
Mar. 16. *Vt sibi commisso fungentes munere, gentes*
In Christum doceant credere, eumq́; sequi.
Præclarum facinus, quod tu molire, tuiq́;,
Non malè succedit, sicuti fama canit.
Act. 2. 4. 10. *Nam Christi regnum magis elucescit in horas,*
Ioel. 2. *Et fiunt, Vates quæ cecinêre fore.*
Esa. 44. *Hæc mecum tacito dum verso pectore, rerum*
Gestit & exultat cor nouitate meum.
Hinc mihi natorum non rarò nomine plaudo,
Vt quibus egregiæ sit pietatis amor.
" *Nam quid natales? generis quid clara propago?*
" *Si desit pietas, stemmata vana puto.*
Sollicitant tamen interdum præcordia nostra
Absentis nati cura metusq́; mei.
Matt. 20. *Dixit enim Christus (memini) quondã fore tẽpus,*
Marc. 10. *Tristia cùm vobis pocla bibenda forent.*
Et cùm vos minimè lætum baptisma lauaret,
Pro Christi passos nomine multa mala.

Prorsus

Prorsus vt explodit, velut impia, dogmata Christi,
Posteritas Abrahæ, patre superba suo;
Sic dijs quæque suis gens dedita, nititur illa
Opprimere, intentans quæ mala cunque potest.
Oderunt, quod erat captandum sedulò, amantq́;
Quæ fuerant letho non fugienda minùs.
Nam quod lethiferum est, defendunt, atq; salutem
Oblatam renuunt, ore manúque truces.
Hæc ego dum mecum reputo, formidine pectus
Ingenti pauito, discruciórque metu.
Nam pietas materna meis timet omnia natis,
Osores fidei quæ mala cunque darent.
Si rapiat natos è vita casus acerbus,
Orbatæ natis mors mihi grata foret.
Sed quæcunque manet sententia fixa Tonanti,
Huic aduersari relligione vetor.
Permulti tentant extinguere nomen IESV,
Quos agitant furiæ, subijciuntque sibi.
Sed contra Superos in cassum sumitur omnis Pro. 21.
(Quamuis parturiat maxima quæque) labor. "
Macte pijs igitur conatibus; hoc opus vrge,
Quod Christi pietas claudere fine velit.
Téque diu seruet saluum immunemq́; pericli,
Auspice quo facias, quæ facis, atque Vale.

Argumentum decimætertiæ Epistolæ.

Carceris esse specu clausum queriturque doletque,
Cui vitæ debet reddita dona, Petrum.

TABITA PETRO.

Act. 12. *CArcere te cæco nostras peruenit ad aures*
Constringi, summa vir pietate grauis.
Quapropter trepidante fui perculsa dolore,
Exanguesq́ artus obstupuêre mihi.
Non igitur potui, membris redeunte vigore,
In te non animum significare meum;
Et te solari, si quid solamine forti,
Inuictoq́ viro forsitan esset opus.
Act. 9. *Nam quod carpo iterum vitæ spirabile munus,*
Viuificis precibus debeo Petre tuis.
In tenues nam cùm cessisset spiritus auras,
Condendumq́ foret flebile corpus humo;
Te fundente preces (res digna stupore) reuixi,
Nam flexêre, fide nil dubitante, Deum.
Surgere iussa leuo rediuiui corporis artus,
Atque valetudo, quæ fuit antè, redit.
Obstupuêre pij vitæ monimenta videntes,
Applaudunt viduæ, lætitiaq́ fremunt.
Hinc igitur grates & carmina læta canuntur,
Quo miserante fuit reddita vita, Deo.
Magnus erat vates Thesbites, magnus & eius
Successor, clari relligione viri.
Namque reuixerunt pueri iam lumine cassi,
3. Reg. 17. *Dum precibus Dominū flectit vterque Deum.*
4. Reg. 8. *At qui Christicolûm caput est, ter maximus ille*
Maior terrigenis, inferiorq́ Deo. (est

Quis

Quis non ſemideum dicat, qui ſolius vmbræ
Attactu, morbis languida membra leuat? Act. 5.
Vt taceam, multos, faciem quo tergere ſuêſti,
Contactu ſtrophij conualuiſſe tui.
Hinc verũ eſſe liquet, quod Chriſtus dixerat antè, Ioan. 14.
Eſſe edenda ſuis ſigna ſtupenda magis.
Certè, quæ fueram demiſſa ad Tartara fatò,
Nunc per te valeo corpore, piſce magis.
Non ergo lacrymas, non & ſuſpiria fundam,
Quando te ſtrictum compede carcer habet?
Me mirum lugere, tibi quæ debeo vitam?
Atque meas lacrymis immaduiſſe genas?
Littera ſi multis eſt hæc maculata lituris,
Ex oculis labens lacryma fecit eas.
Fletibus aſsiduis indulget quiſque fidelis,
Imbutus Chriſti, te monitore, fide. Act. 12.
Te noſtrum columen lugubri voce ciemus,
Reſtitui nobis te pia vota rogant.
Non ſic vlla dolet coniux viduata marito,
Ex quo natorum copia magna fuit:
Vt ſe lamentis Eccleſia macerat, vnum
Te propter fidum peruigilemq́ ducem.
Nunc ornamentũ, decus, & ſolamen ademptum eſt
Chriſticolis, nunc & ſpes labefacta cadit.
Nunc vigili mærent orbæ paſtore bidentes,
A cupidisq́ lupis certa pericla timent.
Nam te compedibus ſtrictum grauibusq́ catenis,
Et multo cinctum milite fama canit;

Spes elabendi tibi ne foret vlla relicta,
Et nostrum pereat, te pereunte, decus.
Non sat erat sæuis Iacobum tollere ferro,
Ni gregis addatur primus Apostolici.
Supplicium differre iubent Paschalia festa,
Ne spretus iaceat relligionis honos.
Scilicet hoc titulo prætexitur impius ausus,
Sic scelus impietas obtegit ipsa suum.
» *Ambitus & liuor ficta pietate teguntur;*
» *Pestibus his non sunt noxia monstra magis.*
» *His vitijs si sacra fames accesserit auri,*
» *Nullum fas & ius intemerata sinunt.*
Hæ pestes Christo sancti sub tempora Paschæ
(Horresco memorans) causa fuêre necis.
Verporum non te pudet inseruire furori,
Vt placeas populo sæue tyranne tuo?
Insonti gaudens Herodes sanguine fuso,
Act. 12. *Haud impunè feres, quæ mala multa patras.*
Quid molire miser? non Christi gloria quibit
Per te obscurari, non periisse fides.
Phœbæos radios caligine presseris antè,
Et Lunam celso traxeris antè polo;
Quàm fidei iubar extinguas toto orbe coruscans,
Aut quiuis alius bella cruenta ciens.
Matt. 16. *Omnes Tartarei toto conamine cœtus*
Tecum coniurent, suppetiasq́ ferant.
Non tamen à Christo fundamina iacta reuellent,
Nec promissa Dei sunt caritura fide.

Nam

Nam tibi cõmissum Petre munus obire necesse est
Antè, neci quàm te dedere fata sinant.
Sunt gentes, Christi priùs abs te scita docendæ,
Quas Sol exoriens occiduusq́; videt.
Non nos vana igitur spes lactat Apostole summe,
Nempe fore, vt pateant carceris antra tibi.
Namque preces, quibus instamus noctesq́; diesq́;, **Act. 12.**
Flectere non poterunt non aliquando Deum.
Qui te restituet nobis, vt gentibus olim
Per te, perq́; tuos nota sit alma fides.
Multorum exaudire preces vigilesq́; piasq́; ,,
Assolet immensa pro bonitate Deus. **Matt. 18.**
Hac igitur fretus confide vir optime, nam te
Reddendum nobis arbitror esse citò.
Qui te præfecit Christi cultoribus, istis
Eripiet vinclis compedibusq́;, Deus:
Dæmonis explosis vt technis, gloria Christi
Terrarum celebris fiat vbique magis.
Denique sublatis templisq́; sacrisq́; deorum,
In verum credat natio quæque Deum.
AEthereus Pater, & Natus, cum Flamine sancto
Ocyus hoc faxint, intereaq́; Vale.
Ex Ioppe.

Argumentum decimæquartæ Epistolæ.

Discipulum vario stabilit sermone nouellum,
Admonet & Christi semper amore flagret.

MARIA IGNATIO.

Littera lecta mihi est, Ignati, qua petis, vt te
Consoler mæstum, consiliisq; iuuem.
Militiæ Christi te tyronem esse nouellum,
Nec satis instructum, dicis, ad omne bonum.
Respondere tuis precibus iustisq; piisq;
(Quod possum calamo) me decet atque iuuat.
Quæ tibi dixit Ioannes, & quæ Polycarpus,
De nato, tibi sint indubitata, meo.
Æternæ callem monstrantq; docentq; salutis
Discipuli, quorum est non dubitanda fides.
Namque docent eadē, docuit quæ Christus IESVS,
Missus in has terras à Genitore Deo.
Et quæcunque tibi retulerunt dogmata Christi,
Actaq;, ne dubites vlla carere fide.
Sunt comperta mihi, quæ dixit & egit IESVS,
Quæ genitum esse Deo sat docuêre Patre.
Haud igitur miror tibi cuncta fuisse stupori,
Quæ fecit Natus, quæ docuitq; meus.
Diuinis eius monitis constanter inhære,
Hanc mentem moueat pectore nemo tuo.
Sint vita & mores suscepto consona voto,
Nec mentem quatiat sors violenta tuam.
Christicolis horrenda parant tormenta tyranni,
Vt linquant, trepidi morte, salutis iter.
Rom. 8. *Sed quicunque flagrant veræ virtutis amore,*
" *In nullis dubitant deficiuntve malis.*

In Chri-

In Christi placitis gaudent perstare, fidemq́; „
Non linquunt, mors sit sæua ferenda licèt. „
Nec tibi terrori pœnæ sint mille, minæve
Horrendæ, non si mors subeunda foret.
Non nisi certanti contingunt præmia palmæ, 2.Tim.2.
Laurea peruigili parta labore datur.
Præmia magna manent infractum rebus in arctis, „
Quanta nec vlla satis dicere lingua queat. Esaiæ 64.
Non aurum minuit, sed purgat sordibus ignis, 2.Cor. 2.
Nec perdunt iustum, sed mala dura probant. Prou. 17.
Quod gerimus corpus, corrumpi morte necesse est, Sap. 3. „
Seu pallens morbus, siue senecta terat. „
At quàm præclarũ, quàm magna laude vehendum,
Pro Christo forti pectore posse mori!
Forti igitur, nec non fidenti pectore perfer,
Si quæ fortè tibi sunt toleranda mala.
Eius amor vincat, cuius vestigia fausto
Cœpisti gressu non sine fruge sequi.
Nulli non mala sunt vita durante ferenda, „
Seu purus scelerum, siue sit ille nocens. „
At puro scelerum cedunt hæc omnia lucro, Rom.8.
Si modò synceræ sit pietatis amans.
Crimen ob admissum pœnas dare lege, pudendum; 1. Pet. 4.
Pro Christo mortem sustinuisse, lucrum.
Non igitur, licèt insontem, te terreat vlla
Supplicii species, non cruciatus atrox.
Ista pati Christi pro nomine, gloria summa est,
Qui facit, vt nullus sit labor ista pati.

Psalm.33. *Seu sors læta cadat, seu sors premat aspera, semper*
Ex alacri grates pectore prome Deo.
Dulce tuo fixum sit pectore nomen IESV;
Vt res cunque cadant, hoc sit in ore tuo.
Ceu melos, ille tuas solus deliniat aures,
Mel sit vt Hiblæum, dulcis in ore tuo.
Præter eum moueat præcordia nulla voluptas,
Delicium solus sit tibi, solus amor.
Si flagrare cor incipias illius amore,
Nil humile aut fluxum mens generosa volet.
" *Res amor est secura mali, nullumq; periclum,*
" *Sed neque discrimen mortis adire timet.*
Hoc flagrans metues haud vlla pericula vitæ,
Hoc vinces, quæ te tristia cunque prement.
Rom. 8. *Dilectum non sors tibi dura reuellet IESVM,*
Sed nec eum tollet prospera corde tuo.
Philip. 3. *Omnia sordebunt tibi, ceu fœda atque caduca,*
Quæ vulgus magni pendit, amatq; nimis.
Quæ verò metuit trepidanti pectore, & horret,
Non fugies, nec erit iam tibi ferre graue.
Hac de re tecum præsentes plura loquemur;
" *Plus mutis tabulis lingua mouere solet.*
Hæc eadem dices alijs quoque fratribus, atque
His scriptis dubitet fidere nemo meis.
Atque meis verbis dic vnicuique salutem,
Vtq; immota fides sit sua cuique, precor.
Prouehat in melius Christus conamina vestra,
Et qua cœpisti, perge, diuq; Vale.

Argu-

Argumentum decimæquintæ Epiſtolæ.

Paulum cum ſocijs multa vibice rubentem
Carcere conſtringi Lydia fida dolet.

LYDIA PAVLO.

Littera quòd multis ſit Paule aſperſa lituris,
Scribentis lacrymæ cauſa fuêre meæ.
Vixdum nãque flagris cæſos, & carcerẽ in atrum Act. 16.
Audieram miſſos te ſociumq́; tuum;
Cùm ſtupefacta graui tremuerunt membra pauore,
Atque metu gelido lingua retenta fuit.
Per te namque meo pulſæ ſunt corde tenebræ,
In quibus erraui, numina vana colens.
Nam ſimulacra deos rata, dæmonis arte trahebar
Igniuomi tætras ad Phlegetontis aquas.
Sic patriæ me communis deceperat error,
Sed veſtris monitis inde reducta fui.
Atque Deum per te cæpi cognoſcere tandem,
Qui ſine fine manet, principioq́; caret.
Cumq́; ſacræ fidei fundamina iacta fuiſſent,
Me dignabaris tingere rore ſacro.
Vt grata ergo forem, mea tecta ſubire coëgi,
Quamlibet inuitos te comitesq́; tuos.
Par erat, vt qui nutrierant me ſemine ſancto,
Nutrirentur item viſcera pane meo.
Muneribus (quæ nulla dari tibi paſſus es) vllis
Penſari merita hæc non potuiſſe ſcio.

Quod potui præstare, pio tibi pectore feci,
Quæ bona poßideo, cuncta parata dare.
Huc te contuleras, vt nos syncera doceres
Dogmata viuendi, Christicolûmq́ fidem.
Sed tenebras luci anteferens gens stulta, flagellis
Vos cæsos, atrum iußit inire specum.
Dæmona fatidica Christi virtute puella
Expuleras, prohibens dæmona vera loqui.
Hinc frendent domini, quæstum periÿsse dolentes,
Hac causa populo bilis inarsit atrox.
Plus stolidos mouit dominos iactura lucelli,
Ambabus manibus quàm rapienda salus.
Romulidasq́ magistratus (quem rideo iure)
Offendisse timet relligione noua.
Non autem metuit cum plebe idola colendo,
Irritare hominum Cælicolûmq́ Patrem:
Matt. 10. *Qui Stygijs damnare potest cruciatibus vnus,*
Flammiuomisq́ Erebi mergere corpus aquis.
Heu crassas Macedûm mentes, dementia quanta
Vos cæcat miseros! quanta superstitio!
Præcones sanæ fidei, æternæq́ salutis
A vobis adeò præmia fœda ferunt?
Fascinat heu vobis impostor lumina dæmon,
Non audire sinens verba salutifera.
" *Morte perit merita, qui recta audire monentem*
" *Respuit, accersens ipse pericla sibi.*
Tanta Philippenses si non caligo teneret,
Non tantis ab eis afficerêre malis.

Sed

Sed quam te duce carpo viam, graderetur eadem,
Et læti Christo nomina quisque darent.
Spero tamen tempus fore, cum pia dogmata Christi
Sunt amplexuri Thraces & Emathij.
Cùm dijs explosis venerabitur orbis IESVM,
Quáque decet, solum relligione colet.
Credo equidem, nec fallor ego, monitore Tonante
Est Macedûm tellus Paule petita tibi.
In mentem quoties veniunt pia verba tuorum,
Vix puto mortalis seminis esse viros.
At quoties subeunt vultus, diuináque Pauli
Verba, vt semideum miror, & esse reor.
Et si sancta fides patiatur, cælitus esse
Tu mihi credaris missus Atlantiades. Act. 14.
Nam tibi verba fluunt sic inflammantia pectus,
Vt qui torpuerat, mox pietate flagret.
Continuò flagret, si non adamante sit omni
Durior, in scelerum traditus omne genus.
Hei mihi, quòd nequeo tibi nunc abstergere Paule
Et Silæ rigidis vulnera facta flagris.
Vnguentis plagas vestras mulcere iuuaret,
Et tantis meritis reddere posse vicem.
Atque vtinam redimi poßis è carcere cæco,
Impensis, mihi sunt quantulacunque, bonis.
Non mihi continget mens defæcata, priùs quàm
Dimißi sitis tu sociíq; tui.
Protinus idcirco mæstam pia cura coëgit,
Correpto calamo scribere pauca tibi.

Pauca,

Pauca, quibus tester, quàm sit mihi ferre molestū,
Pro meritis reddi præmia fœda pijs.
Vulnificis cæsos flagris vos carceris antro
Vt sontes claudi, compedibusq́ premi.
Spero tamen vobis integrum, carceris atris
Eductos tenebris quolibet ire, fore.
Romanæ siquidem ditionis diceris esse,
Et præter legem dura tulisse flagra.
Hoc simul atque magistratus resciuerit, in vos
Non poterit culpam non doluisse suam.
Quo duce venistis docturi sana Philippos,
Istinc eripiet te sociumq́ Deus.
Vt profligentur sceleratæ dæmonis artes,
Qui technis lusit pectora nostra suis.
Et diuulgentur passim pia verba salutis,
Vt nota in Christum fiat vbique fides.
Vt Christum Christiq́ Patrē cum Flamine sancto,
Nulli non populi supplice mente colant.
Hoc votis precibusq́ pijs exposcere nunquam
Desistam, atque genas imbre rigare meas;
Donec contingat captiuis exitus, atque
Fas vobis nostram sit remeare domum.
Vos quando accipiam tecto, votisq́ potita
Vultu læta tuo colloquijsq́ fruar?
Exoptata dies, quæ te mihi Paule, tuosq́
Restituet comites, quod fore spero breui.
Id Christi pietas me maxima credere cogit,
Atque hanc de vobis spem facit esse ratam.

Quan-

Quandoquidem Christi vigil es fidusq; minister,
Conspiciturq; in te vis manifesta Dei.
Carcere te clausum seruet Deus, atque, reuersum
Incolumem donec videro læta, Vale.
Philippis.

Argumentum decimæsextæ Epistolæ.

Percurrit seriem vitæ rerumq; suarum,
Gratuturq; Petro culmen Apostolicum.

MAGDALENA PETRO.

Nobilium bello Gallorum venit ab oris,
Quam legis, in celsis littera scripta iugis;
Vt quo te Petre complectar, testetur amorem,
Atque status nostri certior esse queas.
Nam quamuis longis spacijs nunc separor abs te,
Quæque tamen memorem lux iubet esse tui.
Firma fides & Christigenûm tibi credita cura
Exposcunt, summa te pietate colam.
Vt verò moderer calamo, nec longius æquo
Te morer, expediam, quæ memorare libet.
Cùm nullum sinerent patria tellure manere
Christicolam liuor Iudaicusq; furor:
Perdere me fratremq; meũ, Marthamq; sororem
Iudæis studio (quod nequiêre) fuit.
Nam cymbæ impositos velo remisq; carenti,
Huc tulit aduectos illa Tonantis ope;
Impiam vt hanc gentem doceamus verba salutis,
Dedocto cultu, quo colit illa deos.

Namque

Namque Atlantiadæ gens est hæc sedula cultrix,
Hunc præ dijs reliquis relligiosa colit
Pallada præterea, Martem, Phœbumq́, Iouemq́,
His homines mactat, cùm mala dura premunt.
Dedita relligionibus est hæc natio multùm,
Hinc tamen affulget spes satis ampla mihi.
Namque reuelletur paulatim patrius error,
Et pura Christum gens colet ista fide.
Hoc mecum germanus agit, dilectáque Martha,
Vt Christi fiat gloria nota magis.
Hic nostram sanè (sed non sine Numinis aura)
Sementem sequitur non numeranda seges.
Hinc igitur nostrum tangunt pia gaudia pectus,
Hinc læti canimus carmina læta Deo.
At nunc diuino succensa medullitus æstro,
Rupis in exesæ tempora dego iugis.
Hic hymnis precibusq́ vaco; cælestibus vnis
Hic mea mens inhiat, totaq́ fertur eò.
Hæc mihi nunc rupes plus oblectaminis adfert,
Quàm quæ me Solymæ pompa morata fuit.
Et quamuis loca sola iuuant me, vitáque dura,
Spretis delicijs, quæ placuêre nimis;
Nulla tui tamen obrepunt obliuia nobis,
Te nox sera mihi, luxq́ reuersa refert.
Nam cœtus es Apostolici columénque decúsque,
Téque suas iußit pascere Christus oues.
Ioan. 21. *Et quibus occludas & pandas cælica regna,*
Matt. 16. *Gestandas claues tradidit ipse tibi.*

Atque

Atque adeò petram, sancti fundamina cœtus,
Qua super extrueret, te vocitare solet.
Hæc fecère, pio cur te complectar amore,
Atque tui nunquam non meminisse sinant.
Téque fuisse Deo charum, testantur abundè,
Christo pacta fides sit violata licèt.
Inficiabaris mortis formidine Christum Matt. 16.
Nosse, tuo capiti pessima quæque precans. Lucæ 22.
Sed resipiscentis gemitus, lacrymæq; profusæ,
Te lotis maculis restituère Deo.
Fœlices lacrymæ, per quas est noxa remissa,
Admissi sceleris grata piacla Deo.
Et Dauid grauiter, geminato crimine, Numen 2.Reg.11.
Læserat, at lacrymis diluit omne nefas.
Me quoque decepit quondā malesuada voluptas, Lucæ 7.
Cor fastu vitians illecebrísque meum.
Sed postquam stimulos diuinos pectore sensi,
Et cœpit maculas cor reputare suas;
Protinus accessi fontem pietatis IESVM,
Haud metuens Procerum torua supercilia.
Et supplex eius plantas largo imbre rigaui,
Atque coma tersis oscula multa dedi.
Dumq; pedes eius lacrymis lauo, & oscula figo,
Fasce leuor scelerum, seruitijq; iugo.
Quæq; calescebam pectus priùs eius amore,
Nunc desiderijs ima per ossa flagro.
Atque vtinam vecors non desperasset Iudas, Matt.27.
Immensa Domini de bonitate sui.

Sed

Sed confugiſſet potius pietatis ad aram,
Et veniam oraſſet ſupplice voce Deum.
Obtinuiſſet enim ſupplex, lacrymasq́; profundens
Delicti veniam, cunctaq́; ſalua forent.
Matt. 26. *Cur veniam deſperaret, quem corpore Chriſtus*
Lucæ 22. *Atque cruore ſacro pauerat antè ſuo?*
Cuius ſacrilegi non reſpuit oſcula falſa,
Commiſerans cæci facta nefanda viri?
Ioan. 12. *Sed miſerum ſceleratus amor cæcauerat auri,*
Et mens erepta eſt dæmonis arte vafri.
Ter fœlix vrbs Antiochi, te nacta magiſtrum,
Quæ duce te recta tendit ad aſtra via.
Namque tuis monitis auſcultans, fœda reliquit,
Stulta quibus coluit dæmonas antè, ſacra.
Et ſyncera mente colit, veneratur, adorat
Trinum vnumq́; Deum, qui ſine fine manet.
Nec populum docuiſſe tuum contentus es; à te
Vicinos populos littera miſſa docet,
Vt doctrina Dei gentes ſpargatur in omnes,
Seruetur q́; fide, qui periturus erat.
Hoc opus eximiũ eſt, quo non præſtantius vllum
Arbitror, aut vllum gratius eſſe Deo.
Hoc vrge vigilanter opus, nullumq́; periclum
A cæpto reuocet, quæ mala cunque premant.
" *Currentem ſed equum non eſt ſtimulare neceſſe,*
Quo flagras, Chriſti te ſatis vrget amor.
Ille tuis ſemper faueat conatibus, ille
Vt tibi det longùm viuêre, ſæpe precor;
Vt tan-

Vt tandem prisco gentes errore relicto,
In Christum credant, suppliciterq́ colant.
Et cuiuis hominũ, quos spectat ab æthere Phœbus,
Contingat Christi sanguine parta salus.
Huc (vt iamdudum facis) oro, annitere totis
Viribus, hoc præstans quod potes, atque Vale.
Massiliæ.

Argumentum decimæseptimæ Epistolæ.

Dogmata cœlestis gaudet didicisse salutis,
Atque Catechistam vincula ferre dolet.

MAXIMILLA ANDREÆ.

VEnisti nobis ter faustus Apostole Christi,
Missus in has terras, nempe iubente Deo.
Lux fuit illa mihi niueo signanda lapillo,
Semideum qua te cernere digna fui.
Solis vt exortu noctis caligo facessit,
Aduentu vestro sic vetus error abit.
Heu terras istas quantæ tenuère tenebræ!
Natio quàm fuit hæc cæca, videre rata!
Præ reliquis sapiens visa est sibi Græcia terris,
Consilium gentes hinc petière sibi.
Cæcorum sed cæca fuit dux, dæmonis astu
Dum supplex statuas in sua vota vocat.
Imò dæmonas impuros veneratur in illis,
Hos motos precibus posse iuuare rata.
Id demptis animi tenebris mihi cernere per te
Contigit, vt didici te monitore fidem.

Nempe fidem, tibi quã Christo didicisse magistro,
Et mihi cum multis, te monitore, datum est.
Orator nullus sic flectere pectora nouit,
Vt mentes hominum vir venerande moues.
Romulidis infans lingua est doctisq; Pelasgis,
Præ te, qui potis es cor penetrare meum.
Rhetoricen quotquot docili didicêre iuuenta,
Non ita dicendo pectora nostra mouent;
Vt tu, piscatu qui victum quærere suêsti,
Quemq; artem fandi non didicisse liquet.
Vis igitur diuina tuo procedit ab ore,
Et linguæ plectrum tam sapienter agit.
Per te namque loquens cælestis Spiritus vrit,
Emollitq; animos, ad meliora vocans.
Illico sectari te gaudet, verba salutis
Ex te qui didicit, pectoreq; illa premit.
Dissimilisq; sui fit protinus: omnia Christo
Posthabet: in Christi dogmata sola vacat.
Visq; precum non est minus admiranda tuarum,
Quæ potuère graui me releuare febri.
Angebat tantis hæc me cruciatibus, vt vir
Spem vitæ demptam crederet esse meus.
Quid plures memorem defectis viribus ægros,
Qui solis precibus conualuère tuis?
Deplorata valetudo fuerat quibus antè,
Nunc iterum validos viribus esse liquet.
Nec solos, qui membra trahunt languentia, sanas,
Languori prosit nulla medela licèt:

Verùm

Verùm etiam reuocas in lucem lumine cassos;
Sæpe tuæ fatis plus valuère preces.
Hoc præstare nequit Phœbus, nec Apolline natus,
Sed neque Saturno qui patre cretus erat.
Tale nihil posśit reliquorum turba deorum,
Quos stolidum vulgus credidit esse deos.
Imò nihil possunt, homines nisi lædere, cùm sint
Dæmones, omne malum turba parata dare.
Atque tuis adeò precibus sæpe impete facto
Cessere, & celerem corripuère fugam.
Prætereà perplexa tacent oracula Delphis,
Namque silet Phœbus, qui fuit antè loquax.
Magna Dei virtus, os mendax obstruit illi,
Nec iam vaniloquos dæmonas esse sinit.
Quis non Tiresias hæc cernat Numinis esse,
Omnia sub cuius sunt ditione sita?
Eius es haud dubiè legatus, muniaque eius
In Scythicis oris Argolicisque subis.
Eius verba sonas, stimulis ferientia mentes; Eccle.12.
Hæc audita mihi cor tetigère meum.
Fœlix Bethsaida, quæ te celebratur alumno,
Tam clarum terris edere digna iubar.
Quod pepulit magna Scythicas ex parte tenebras,
Quod Danais aperit lumina clausa priùs.
Errores veteres pulsi sunt illico verbis,
Quæ doctore Patræ te didicere suo.
Hæc fecère, frui iuuet vt me cælibe vita,
Impietate viri iura perosa tori.

Quæ res fecit ei præcordia bile tumere,
Hac causa te nunc vincula dura premunt.
Patrarum præses operam sumebat inanem,
Ad sacra te cogens dijs facienda suis.
Dæmonibus faciat sacrum, quem dæmones horrẽt?
Cuius ad imperium sæpe iniêre fugam?
Supplicium mortis captiuo triste minatur,
Inq; crucem forsan te sceleratus aget.
Quæ te fata manent, & me fortasse manebunt,
Et coniux, mortis coniugis autor erit.
Dura sed impauidis nobis tormenta parantur;
Securum mortis Christus vtrumque facit.
Præside plus sanum vulgus fremit omne tumultu,
Insontem claudi carcere namque videt.
Istinc eriperet te, si patereris, & ipsum
AEgæam cuperet perdere quisque nece.
Sed neutrum pateris veræ pietatis amator,
Per quem iustitiæ tradita norma fuit.
Vita peracta piè, facit haud te morte moueri;
" *Vindictam pietas non sinit esse sui.*
Non sacri tamen eloquij præcone fideli
Posse frui doleo, discrucior q; metu.
Nam metuo, ne te mihi sit doctore carendum
Semper, & alloquij spes sit adempta tui.
Istinc effugium tibi si nunc prorsus ademptum est,
Tristia, quo potero pectore, fata feram.
Istinc te certè cuperem discrimine vitæ
Eripere, vt Patris sis diuturna salus.

Si Su-

Si Superis visum secus, æqua mente feremus,
Quidquid Sors nobis adferet; atque Vale.
Patris. Anno 70.

Argumentum decimæoctauæ Epistolæ.

Multa pio nato se formidare pericla
Scribit, & vt vitæ consulat ipse, monet.

EVNICE TIMOTHEO.

MAterna sunt scripta manu dulcissime nate,
Quæ legis, vt tecũ, qua licet arte, loquar.
Sæpe tui me cura coquit, præcordia turbans,
Dum metuo nato mille pericla meo.
Cùm Paulum comitans peragrares oppida multa,
Gentibus vt Christi gloria nota foret;
Pectore sæpe meo pepulerunt gaudia curæ,
Nec me sunt passæ nocte quiete frui.
Nam Verpi gentesq; student molimine summo,
Clarescens Christi tollere grande decus.
Atque ideo Stephanus fidusq; piusque minister Act. 7.
Occubuit, petris obrutus ante diem.
Sic Iacobum etiam Rex impius ense peremit, Act. 12.
Se gratum populo cædibus esse videns.
Quapropter statuit columẽ quoq; prendere nostrũ,
Apprensum Petrum perdere posse ratus.
Impia cura fuit cæcis hæc semper Apellis,
Vt Christi in terris gloria nulla foret.
Sic quia Scribarum Paulus statione relicta,
In Christi laudem nocte diéque vacat;

Ipsi perpetuæ, quo se fert cunque, struuntur
2.Cor.11. *Insidiæ, terra sæpe, aliquando mari.*
Quæ sæpe inuoluunt (cautum licèt, atque Tonantis
Præsidio tutum) subijciuntq́ malis.
Act. 16. *Nam flagris cæsus nunc carcere clauditur atro,*
Act. 14. *Nunc saxis petitur, naufragiúmve facit.*
Nunc in eum gentes coniurant, nunc populares;
Quo fert cunque gradum, non caret ille metu.
Matt. 10. *Omnibus exosos mortalibus esse futuros*
Lucæ 21. *Vos, Christus verè vaticinatus ait.*
His igitur causis tunc Pauli cura tuiq́,
Anxia reddebat pectora nostra metu.
» *Præconum Christus fida est tutela suorum,*
Matt. 10. *Nec crinem sine eo posse perire scio.*
Maternus tamen affectus mala plurima semper
Ambobus metuens, irrequietus erat.
Nec minus accedens cor torquet & altera cura,
Quæ nato metuit non leuiora mala.
1. Tim. 5. *Nam stomacho quàm nō valido sis, corporeq́ ægro,*
Quàm crebris morbis excruciêre, scio.
Non tamen idcirco parcis tibi, sed magis ægrum
Affligis corpus, debilitasq́ tuum.
Nam gelida sedare sitim plus te iuuat vnda,
Languentem stomachum quàm recreare mero.
Consilio præceptoris parêre memento,
Et vinum stomacho sit medicina tuo.
» *Affligas si plus nimio, fit inutile corpus;*
» *AEgra valetudo cuique fouenda sua est.*

Quæ

Quæ dixi, causæ mihi sæpe fuêre timoris,
Quem Superi vanum deprecor esse velint.
Has curas tamen extenuant, quæ sentio magna
Gaudia, quòd pietas sit celebrata tua. Philip. 2.
Quæ facit, vt comitem sibi te delegerit ille Act. 16.
Paulus, Apostolici firma columna chori.
Ponderis est magni, pietatis semina primis „
Addidicisse annis, seruitiumq́ Dei. „
Loidis in primis auiæ fuit vnica cura, 2. Tim. 1.
Cùm primùm inciperes verba sonare puer; 2. Tim. 3.
Hæc fuit & matris, ne non pietatis amorem
Cum lacte imbiberes, saluificamq́ fidem.
Hæc fructus elementa Deo fecêre iuuante,
Et facient, dum te viuere fata sinent.
Et quia gentili satus es genitore, recisum est Act. 16.
Præputium (Paulo præcipiente) tibi;
Ne sit, quod culpent morosi forsan Apellæ,
Neu carpant, vitij quod sit inane tamen.
Postquam igitur pietas fuit explorata fidesq́,
A Paulo est Ephesi credita cura tibi.
Nec te desistit scriptis pius ille monere,
Vt par sis oneri, quod tibi ferre dedit.
Quam suscepisti, grauis est prouincia, vixdum 1. Tim. 4.
Conueniens illi, cui noua barba venit.
Et facit, vt metuam tibi non leuiora pericla,
Quàm nuper, Paulum cùm sequerêre ducem.
Namque pharetratā vulgus colit omne Dianam, Act. 19.
Huic Ephesi diuæ victima multa cadit.

Hic igitur populi vix extirpabitur error,
Imò extirpandum non ſine cæde reor.
Qui ſimulacra colũt, atq; hinc ſua cõmoda captãt,
Mordicus illa tenent; non abolere ſinunt
Tollere ſi tentes, metuo tibi grande periclum,
" *Nam plebs, ſi irrites, eſt rationis inops.*
" *Non leges metuit; confundit fasq́; nefasq́;*
Non ſic flamma vorax, aut maris vnda furit.
" *Non mors eſt metuenda pijs, tamen eſſet acerbum*
Ferre mihi, ſi te triſtia fata ferant.
Qui te cunque manet caſus, fiducia ſemper
Sit tibi nixa Deo, munia cuius obis.
Ciuibus eſt opibusq́; potens vrbs iſta, feroxq́;,
Et Chriſti renuit ſubdere colla iugo.
Sed tua iamdudum conamina gratia Chriſti
Adiuuat, inq́; dies prouehet illa magis.
Te Chriſtus, cuius præco es, non deſerat vnquam,
Aſpiretq́; pijs niſibus, atque Vale.
Lyſtris.

Argumentum decimænonæ Epiſtolæ.

Eloquium Pauli laudat, vigilemq́; pudoris
Seruandi curam ſcribit ineſſe ſibi.

THECLA PAVLO.

CVi ſoli refero acceptam, tibi mitto ſalutem,
Saluificæ fidei maxime Paule ſator,

Quem

Quę præsentē audire foret mihi summa voluptas,
Compellare iuuat, qua ratione queo.
Ambos nos dirimunt loca dissita; suppleat ergo,
Quod non lingua potest, littera missa tibi;
Vt nota sit veri, quo te complector, amoris,
Grataq; mens in te sit manifesta tibi.
Iconij (sed non summi sine mente Tonantis)
Te primùm audiui verba tonare sacra.
Verba, quibus pectus diuino canduit igni,
Atque fui dispar illico facta mei.
Nulla fuit famis atque sitis mihi cura leuandæ;
Pascebant animum verba sacrata meum.
Auricomus radijs ter sol lustrauerat orbem,
Ter Tartessiaco lauerat ora freto;
Sumendi cùm cura cibi mente excidit omnis,
Extra corpus enim mens mihi rapta fuit.
Flexanimis suadela (tuo quæ sessitat ore)
Dum summa tollis laude pudicitiam,
Extinxit flammas Hymenæi in pectore nostro,
Et facit, vt Christo sit mea pacta fides.
Stirpe quidem clara genitor desponderat orto
Me iuueni, qui me non malè dignus erat.
Verùm sermo tuus, rapidi qui more fluebat
Torrentis, fecit me fugitare torum.
Virgineiq; decus Christo seruare pudoris,
Iam certæ iuueni nubere, causa fuit.
Eloquium Pylij senis, vt mel dulce, fluebat,
Mæonidæ vati si sit habenda fides.

Orantis Periclis sunt verba tonitrua visa,
Et credi poterant fulmina verba viri.
Vt taceam, quanto memoretur Tullius ore
Consessu grauium detonuisse Patrum.
Hos tamen infantes præ Paulo dicere fas est,
Noctiuagis vlulis anseribusq́; pares.
Si quæ de cygnis memorantur, vera putamus,
Nullus olor Pauli suauius ore canit.
Amphion mouisse petras testudine fertur,
Atque feras Orpheus, Tartareosq́; deos.
Eloquio sed Paule tuo contendere tentet
Nulla Chelys, sed nec tentet Atlantiades.
Tot populos Asiæ, tot Graios, Ausoniosq́;
Fecisti fidei dogmata sancta sequi.
Sanguine qui pecudum stulti simulacra colebant,
Nunc verum Numen supplice mente colunt.
Quiq́; priùs cristas tollebant nomine gazæ,
Hac sese exonerant, pauperiemq́; colunt.
Nec Christi causa dubitant mala mille subire,
Insuper & gaudent tristia fata pati.
Arripiuntq́; feræ Christi iuga dulcia gentes,
Quas nemo potuit Marte domare priùs.
Hæc fieri nequeant tacita sine Numinis aura,
Impiger in terris munia cuius obis.
Hæc eadem Pauli vicit facundia Theclam,
Et facit, vt metuam nulla subire mala.
Expertem thalami Christo sacrare pudorem,
Atque bonis lætam cedere iussit ea.

Non

Non iaculis confixa tuis ero ſaucia pectus,
Nec face flagrabo cæce Cupido tua.
Nil moror (vt par eſt) matrem ſponsùmque profanos, Lucæ 14.
Ambobus Chriſtum præpoſuiſſe iuuat. Act. 14.
Atque ideo paſſi ſumus ambo triſtia multa
Iconij, ſed nos ſuſtulit inde Deus.
Antiochi quoque in vrbe tuli non fata minora,
Sed me ſeruauit prouida cura Dei.
Virgineo voluit me vi ſpoliare pudore
Vrbis præfectus, captus amore mei,
Atque renitentem tormentis perdere duris;
At non eſt famulæ paſſus abeſſe Deus.
Inde ſed ereptam magna pietate tuetur;
Vnius arbitrio ſtat mihi vita Dei. "
Non mihi flāma vorax, ſed nec nocuêre colubri,
Nec, qui diſtraherent corpora noſtra, boues. "
Quos Patris ætherei ſeruat pia cura Tonantis, Pſal. 90.
Quidlibet intentans lædere nemo poteſt. "
Et quia fama meum eſt Smyrnam veniſſe magiſtrum,
Iſtuc conſtitui mox properare gradum;
Ampliùs vt famulam doceas, monitisq́; reformes,
Ne non, quî vita eſt inſtituenda, ſciam.
Vt ne victa malis, ingloria Marte recedam,
Quæ ſtruit aut dæmon, aut maleſuada caro.
Sed vitæ ſtadium percurram, deuia nunquam, 1. Cor. 9.
Vt mihi contingant ſerta repoſta pijs.

Organon

Actor. 9. *Organon eximium, qui te delegit, vt esses,*
Hæc præstet nobis, intereaq́; Vale.
Antiochiæ.

Argumentum XX. Epistolæ.

Aduentum nati genitrix desiderat, atque
Legiferi Mosis dogmata sancta probat.

HELENA IZATÆ.

Mitto schedis clausam dulcissime nate salutē,
Qua careo, quòd non restituare mihi.
Namq́; tuis quamuis credo succedere votis
Omnia, non requies est tamen vlla mihi.
Absenti metuit pietas materna, sed omne
Quod metuo, clemens faxit inane Deus.
Absentem patrijs laribus queror esse tot annos,
Sed te continget mox mihi (spero) frui.
Dilectus nobis cur sis præ fratribus vnus,
Si nescis, paucis commemorabo tibi.
Fortè manum ventri coniux, dum nocte cubaret,
Imposuit, somnum me capiente, meo.
Illico vox audita manum iubet auferat illinc,
Ne lædat fœtum, quo grauis vxor erat.
Prouida namque Dei quòd cura exorsa fuisset,
Dum spirabit, ait, prospera fata feret.
Hæc experrectus trepidæ mihi territus ille,
In somno fuerant quæ sibi dicta, refert.
Hæc igitur, Superos, rata sint & fausta precamur,
Et vitale velint, quod fero, ventris onus.

Hinc

Hinc fit, vt ex æquo sis charus vtrique parenti,
  Plus alijs, minimus sis licet inter eos.
Et quia flagrabant odijs hinc acribus in te,
  Cedendi patria causa fuêre tibi.
Atque ideo tecum pater auri multa talenta
  Misit, vt haud desint vsibus apta tuis.
Quocirca te Rex, cui commendatus es, æquè
  Atque ex se genitum, diligit atque fouet.
Imò sibi generum delegit (vt audio) nuper,
  Indole perspecta, stirpe, patrisq́; bonis,
Et natæ dos est regio data fertilis aruis,
  Redditibusq́; potens; vt mihi fama canit.
Hæc me solantur mœrentem nomine nati,
  Quem doleo tanto tempore abesse mihi.
Audio Iudæo quoque te didicisse magistro,
  Quæ prohibet Moses lege iubétque sacer.
Et patrijs dijs postpositis te discere cultum
  (Cernere quem possunt lumina nulla) Dei. Ioan. 1.
Hac quoq; parte facis mihi gratum, nāque perosa
  Sum, vulgus stolidum quos colit omne, deos.
Quantis in tenebris palpauimus hactenus, esse
  Dæmonas immundos numina vera rati!
Nam quæ dijs nostris tribuuntur, digna cachinnis
  Sunt Democriticis, mens modò sana putet.
Quare me quoque, quæ recutitis scita reliquit
  Moses ille, pia discere mente iuuat.
Hæc relegens miror, pectus succensa legendo,
  Quámque egi vitam, corrigo, serò licet.

Nam

Nam mihi nunc oculi panduntur, patrius error
Quos clausit; video, quæ modò cæca fui.
Mosaicæ leges verum cognoscere Numen,
Et quæ sint illi debita sacra, docent.
Hæc me delectant, hæc imo pectore figo,
Hæc propter Solymam non grauer ire pedes.
Plenius exopto cultum nouisse Tonantis;
Sacra quibus colitur, cernere sæpe velim.
Audio de templo Solymorum mira relatu,
Hoc animus gestit visere sæpe meus.
Iudæos siquidem penes est me iudice vera
Relligio; nostra est stulta superstitio.
Dissimulare tamen nos præstat multa, sub alto
Pectore celantes, quæ meditamur adhuc.
Porrò patri nunc grandæuo sua fata propinquant,
Et vitæ superest vltima meta suæ.
Ad patrios igitur te vult remeare penates,
Exoptans vultus nate vidère tuos.
Dum nondum vitæ fatalia fila secantur,
Quàm sibi sis carus, vult aperire tibi.
Spes mihi non vana est hæredem te fore regni;
Purpureum solus tu diadema feres.
Maioris natu Monobazi nomine nullus
Suspensum teneat sollicitétve metus.
Nam pater, & regni proceres tibi quisque, ferendi
Vt tibi sit sceptri, cura decusq́; volunt.
In patriam monet vt redeas iam grandior ætas,
Istic te nimiæ detinuêre moræ.

Tempus adeſt, animi dotes quo prodere fas eſt,
Oracliq́; fidem facta probare decet.
Inuidia fratrum ne quid lędare, cauebo;
Vt reor, inuenies omnia ſalua redux.
Si per fata pater prohibetur viuere longùm,
Te mihi ſolamen ſpero decusq́; fore.
Ominibus multis fore confido omnia ſalua,
Regnum promittunt omina multa tibi.
Auſpicijs igitur lætis huc corripe greſſum,
Vt votis noſtris fiat vtrinque ſatis.
Exoptata dies, quæ te ſaluum mihi reddet,
Atque nurum, cum qua ſoſpite nate Vale.

SACRARVM

HEROIDVM

LIBER TERTIVS.

Argumentum primæ Epiſtolæ.

Quot mala ſuſtineat Chriſti pro nomine, narrat,
Omnia quæ ſuperat ſubuenientis ope.

ECCLESIA CHRISTO.

EX terris, vbi te dulcis ſuſpirat IESV
Mens mea preſſa malis, littera miſſa venit.
Exprimit ex omni dolor vrgens parte querelas,
Dulcis ſponſe, decus, confugiumq́ meum.
Hinc petor inſidijs, hinc Marte laceſſor aperto,
Non omnes hoſtes enumerare queam.
Vt ſtimulante fame trepidas ferrentur in agnas,
Cura canum ſi non arceat inde, lupi:
Sic hoſtes in me ruerent, pœnisq́ nefandis
Sæuirent, cupidi nil ſupereſſe mei;
Illorum ſi non rabiem viresq́ ſuperbas
Cura refrenaret prouida Chriſte tua.
Debeo namque tibi vires, omnemq́ ſalutem;
Te ſine iamdudum (ſat ſcio) nulla forem.
In me coniurant vnam, me perdere quærunt,
Accumulant in me, quot mala cunque queunt.
Me nudant opibus, patria tellure propellunt;
Vt me excarnificent, tormina mille parant.

Te pro-

Te propter, veluti cælum non digna tueri,
Vrgeor, affligor, supplicijsq́; premor.
More ouium, quibus est ars nulla innata nocendi, Psalm. 43.
Quæritor vt iuguler, ceu lanianda trahor.
At nullis succumbo malis; mala perfero cuncta;
Omnia ferre tui, quo flagro, cogit amor.
Est mihi firma fides scuti vice, crebra repellens Ephes. 6.
Tela, quibus dæmon me petit, atque Caro.
Pectus vt assultu thorax defendit ab omni,
Iustitia fretæ sic mala nulla nocent.
Pro galea vigil est animus, studiumq́; salutis,
Balteus est virtus non nisi vera docens.
Addunt & scripturæ animos solamina sacræ,
Rebus in afflictis hæ trepidare vetant. Psal. 118.
His ego ceu gladio pugno cum dæmone, & eius
Cum coniuratis, cùm mihi bella cient.
Sæua tyrannorum tormenta est vincere durum,
Opprobrium, sannas, vincula, damna, necem.
At quibus hæretici damnis salibusq́; proteruis
Me lædunt, mala sunt non leuiora mihi.
Scripturam vitiant sanctam; mendacia vulgo 2. Cor. 11.
Obtrudunt, vt sic illaqueare queant.
Quæ vulgo placeant, tantùm iactantq́; docentq́;
Hinc multi pereunt credulitate sua.
Multa docent, sanæ quæ non pugnare videntur
Doctrinæ, sed sunt omnia plena dolis.
Vulpibus assimiles dicas, tua namque per illos Cant. 2.
Vinea frugifero palmite læta perit.

Psal. 79. *Aut si non perit, at maiore ex parte per illos*
Vastatur, multis squalida facta locis.
Quæ mihi res summis animum cruciatibus angit,
Dum video natos degenerare meos.
Nec modò degenerare, sed & dare plurima matri
Damna, suis nugis pestiferisq; dolis.
In teneris herbis colubri de more latentis,
Incautis afflant ore venena suo.
Mel vulgus putat esse merũ, quod manat ab ore,
Sed fel lethiferum pocula mellis habent.
Nam faciles aures præbentem deuius error
A recto ad Stygias tramite ducit aquas.
Hebr. 11. *Ni sit enim sincera fides, spes nulla salutis*
" *Esse potest homini; ianua clausa poli est.*
Se penes esse fidem iactant, & se sapere vnos,
Sed trahit in barathrum perditus error eos.
Alcidæ fuit hydra minùs grauis, vsque renascens,
Ense caput quoties illa resecta fuit;
Quàm sint Hæretici mihi, fœcundissima mõstra,
Spargere qui gaudent virus vbique suum.
Quorum si secta vna iacet, pessundata telis,
Nempe argumentis, eloquijsq; sacris;
Protinus exurgit monstrosior altera secta,
Parturiens sobolem pestilitate parem.
Omnibus hoc opus est vnum, finisq; laborum,
Vt nullo penitus stent in honore sacra,
Vtq; suus longè sit vulgatissimus error;
Hac se namque putant parte placere Deo.

Vulga-

Vulgatis igitur libris sua dogmata spargunt,
Latius vt serpant, inficiantque magis.
Quantum ab eis damni cepi compluribus annis!
Hei mihi, quàm paucos conspicor esse pios.
Ne damni plus accipiam, compesce furentum
Pestiferas fraudes, me quibus vsquè petunt.
Nec satis est; hostes alij quoque sæpe fatigant;
Multa mouent Dæmon & caro bella mihi.
Ille latens visus humanos, more leonis 1. Petr. 5.
Discursat, quærens quem laniare queat.
Sanguinis humani sitiens ita nulla ferarum est,
Cum premit atra fames, hostis vt ille meus.
Dilectam me cælicolis non sustinet esse,
Hinc animi tentat me spoliare bonis.
Nulla quies illi, tenebris dum clauditur æther,
Et dum detegitur lumine, nulla quies.
Omnibus inuisam me reddit, & incitat omnes,
Vt cumulent probris, excrucientque malis.
At Caro spiritui est aduersa, domesticus hostis, Galat. 5.
Imò indiuiduus perpetuusque comes.
Ad quoduis huic est vitium propensio mira,
Inq; modum pecoris vix queat arte regi. Psal. 72.
Numinis ad cultum cùm spiritus excitat illam,
Vsque repugnantem vix cohibere potest.
Sic quocunque pedes rapiunt, sonipes volat, illum
Si frænos adhibens non moderetur eques.
Vsque adeò vitiat primorum culpa parentum,
Gignendi illorum semine quotquot erunt.

His colluctari crudelibus hostibus omnem
Per vitam cogor, milléque ferre mala.
Te sine non valeam par esse assultibus horum,
Quos vt sustineam, fer miseratus opem.
Vt mihi contingat per te promissa corona,
Quæ facit, vt nunquam tot mala ferre grauer.
Sunt, quos nunc patior, modicíq; breuesq; labores,
1.Cor.9. *At non marcescent serta reposta mihi.*
Tantùm suppedita vires animumq; ferendi,
In vita quotquot sunt toleranda mala.
Ioan. 15. Iacob. 1. *Nullas agnosco vires; si quid queo, si quæ*
Vena boni est in me, muneris omne tui est.
Donec militiæ mala me tolerare iubebis,
Fer mihi præsidij (qui potes vnus) opem;
Fracta malis ne deficiam, sed pectore forti
Sustineam, duri quidquid ab hoste venit.
Vt vitæ cùm finis erit, redimita capillos
Victrici lauro, clara trophæa feram.
Et lætum pæana canam tibi tempus in omne,
Cui soli imperium, gloria, lausq; manent.
Ex OEcumene.

Argumentum secundæ Epistolæ.

Mittit ad Vrbanum, sponsum, studiosa pudoris,
Vt redeat doctus scita salutifera.

CÆCILIA VRBANO.

Q*Va potero breuitate tibi, sanctißime Præsul,*
Narrabo, cur hæc littera missa venit.

Virgi-

Virgineum seruare decus, tenerumq́ue pudorem
Illæsum, semper mens mihi firma fuit.
Et quamuis habitum gemmis auroq́ue superbum,
Quem status exposcit noster, opesq́ue, gero;
Plus cilicum me texta iuuant tamē aspera, ne non
Refrænent carnem, duritiaq́ue doment.
Præterit interdum biduum triduúmve sine esu,
Vt pudor intactus sit maneatq́ue mihi.
Supplico præterea cælestis ciuibus aulæ,
Ne mea, si pia sunt, irrita vota sinant.
Sed me dignentur prece commendare Tonanti,
Quò mihi stet semper virginitatis honos.
Connubio tamen inuitam sociare parentes
Nituntur iuueni, qui tibi scripta tulit.
Clarus imaginibus fortunas poßidet amplas,
Sanguine regali dignus habere satam.
Mens tamen est illi fidei contraria nostræ,
Seruit enim statuis, has ratus esse deos.
Et quamuis profiteretur pia dogmata Christi,
Non tamen hunc iuuenē digner habere virum.
Namq; animo fixum sedet, immotumq́ue manebit,
Expertem thalami degere, & absque iugo.
Huic aduersantur voto procus atque parentes,
Meq́ue vocant aliò, quàm vocat ipse Deus.
Sed Christus, cui me voui, propriamq́ue dicaui,
Non sinet, vt spolier flore pudicitiæ.
Huic igitur iuueni, cui nubere cogor amanti,
(Nam magno miserè flagrat amore mei)

Persuasi seorsim grauibus monitisque minisque,
Vt desiderijs temperet ipse suis.
Atque illibatum florem sinat esse pudoris,
AEthereus iuuenis cuius amore flagrat.
Vt qui riualem nullum patiatur habere,
Si quo fortè modo me maculare paret.
Nec laturum impunè, mihi si fortè quis ausit
Hoc auferre decus, quo super astra feror.
Cùm rogitaret, ob hæc zelo succensus, amator,
Quisnam alius iuuenis flagret amore mei;
Se mihi parsurum, tantùm sit castus amator;
Non fore quod metuam; quod peto cunque, fore.
Si secus, impendet riuali grande periclum,
A me, si viuo (clamitat) atque tibi.
Quisquis is est, inquit, videam, votisque fruere,
Vt valeam dictis tutus habere fidem.
Nil metuas, inquam, custos est ille pudoris
Castus, at vlturus, si vitietur, erit.
Cùm vero simulacra colas, verumque Tonantem
Non noris, cernes non nisi lotus eum.
Lotus fonte sacro, & sacra dogmata doctus IESV,
Quæ dement oculis, quidquid inumbrat eos.
Hæc, inquit, si sim facilis, quis dogmata tradet?
Instructumque sacris membra lauabit aquis?
Hinc, inquam, plateam, quæ dicitur Appia vulgò,
Vt tibi contingat quod petis, ergo pete.
Inuenies in ea non mendicabula pauca,
His me munificam sæpius esse iuuat.

Hinc

Hinc disces, Vrbanus vbi sit, vir grauis æuo,
Squallidus ærumnis, sed pietate nitens.
Ille salutis iter tibi per compendia tradet,
Et mentem sacris purificabit aquis.
Tunc oculis omni dempta caligine cernes,
Ille meæ quis sit virginitatis amans.
His motus dictis ad iter fuit iste paratus,
Qui mea, quæ legeres hæc tibi scripta tulit.
Hunc igitur, te sancte Pater rogo, dogmata nostræ
Vt doceas fidei, restituasq́; pium.
Ad me deinde sacro lustratum fonte remitte,
Vt casto sponsæ flagret amore suæ
Integritasq́; mei per eum stet salua pudoris,
Quo foret orbatæ lux odiosa mihi.
Si bene te noui, succedent omnia nostris
Ex votis, atque hinc clara trophæa feres.
Spero reuersurum mansuetum more bidentis,
Qui non dissimilis nunc feritate lupo est.
Hanc operam quæso digneris sumere, Præsul
Summe, mea causa, dum studet esse meus.
Sic tibi contingat tranquillam degere vitam,
Aspera quæ nunc est heu nimis, atque Vale.
Romæ, Anno 225.

Argumentum tertiæ Epistolæ

Carcere clausa refert, fidei quo flagret amore,
Et famulos, perstent in pietate, rogat.

EVGENIA, PROTO ET HYACINTHO.

CArcere me claudi fortaſſe doletis amici,
Et vos ſollicitant fata propinqua mihi.
Cordibus ex veſtris trepidas expellite curas,
Et nullus quatiat pectora veſtra dolor.
Nunc, in Alexandri quod prælibauimus vrbe,
Præſtandi intrepido pectore tempus adeſt.
Quos Sophiæ ſtudium docuit contemnere mortem,
Non trepidare fides plus tua Chriſte docet.
Hæc me vincla iuuant, & dura compede ſtringi
Gaudeo pro Chriſti nomine crura mea.
Nulla reformido rigidi tormenta tyranni;
Intentet pœnas, quas mihi cunque poteſt.
Nam Chriſti pietas & conſolatio fida
In medijs aderunt, ſubuenientq́; malis,
Sponſus erit ſponſæ tutor fidusq́; patronus,
2.Tim.4. *Certantique piè laurea ſerta dabit.*
In Sophiam fuerat mihi ſumma vacare voluptas,
Ad diſcendum ætas cùm foret apta magis.
Intendi Stoicis animum, placitisq́; Platonis;
Et legi, quidquid ſcripſit Ariſtoteles.
Grandiloquos legi Tragicos, lepidumq́; Menandrũ,
Lectus & Aſcræus Mæonidesq́; mihi.
At Diui Pauli cùm cæpi euoluere ſcripta,
(Quod factum nutu Numinis eſſe reor)
Cæperunt mihi ſcriptores ſordere profani,
Quorum ſæpe fuit lectio grata mihi.

Nam

Nam quid ibi inuenias, nisi nugas pondere cassas?
Et segetem, læto quæ sine farre nitet?
At Christi sermo penetrat præcordia, vitam Hebr. 4.
Commutans, fuerit degener antè licèt.
Vt ros æthereus fœcundat frugibus arua,
Sic steriles mentes fructibus ille replet.
Is genus & formam me spernere fecit, opesq́;,
Et tædas, ne non Virginitate fruar.
Fecit & is Tyrio plus murice scruta placere,
Et nullo luxu membra fouere mea.
Fecit item monacham profiteri veste virili
Vobiscum, sexum Veste tegente meum.
Tum demum studium virtutum creuit in horas,
Difficilis nobis non labor vllus erat.
Mæstus vterque parens amissæ nomine natæ,
Qui quærant, Pharium mittit in omne solum.
Cùm reperit nemo quæsitam, oracula diuûm
Consulit, vt natæ tristia fata sciat.
Qui responderunt raptam super astra, beatis
Sedibus indigetem tempus in omne frui.
Cœnobij interea Pater ex hac luce migrauit,
Cuius obire vices me pia vota iubent.
Consilium ô Superûm non perscrutabile cuiquam,
Quàm multa eueniunt, quæ potuisse neges!
Occulto sexu decepta Melanthia diues
Ardebat turpi pectus amore mei.
Nec verbis potuit conceptam pectore flammam
Non aperire mihi; vis ea tanta fuit.

Palpabat nunc blanditijs, nunc munere largo,
Sed nunquam non est illa repulsa mihi.
Illa dolens votis falli, impatiensq́; repulsæ,
Affingit capiti crimina fœda meo.
Me queritur labem casto intentasse pudori,
Christicolasq́; mei moribus esse pares.
Credulus his genitor dictis me prendere mandat,
Flagitij tanti cùm videt esse ream.
Supplicio poscor, capitis damnanda; nec vllum
Effugium, vinclis quò releuarer, erat.
Sed deprompta sinu docuerunt vbera nostro,
Obiectum falsò crimen id esse mihi.
Pectore nudato, quorum sim filia, dixi;
Agnita, lætitiæ maxima causa fui.
Protinus exornor Sarrano murice & auro;
Applaudit natæ lætus vterque parens,
Nulla mouet me pompa; fidem plus opto parentum,
Vt collum Christi subdat vterque iugo.
Nec votis operæq́; piæ deest exitus aptus;
Fons sacer amborum corpora tingit aquis.
Tota domus Christiq́; fidem cultumq́; capessit,
Certatim feruet cum pietate fides.
Christicolas genitor tormentis perdere suetus,
Fit pius Antistes, Christicolasq́; fouet.
Gen. 49. Sic qui manè rapax fueras lupus, æthere ab alto
Act. 9. Admonitus, Christo Paule fidelis eras.
Is postquam occubuit Christi pro nomine, Romam
Vobiscum petimus mater egóque simul.

Hic quia non pauci prenderunt dogmata Christi
Hortatu nostro, carcere clausa premor.
Qui magis oblectat me, quàm regalia tecta;
Quæ patior Christi nomine, ferre iuuat.
Vos quoque, quos fidos famulos, Christiq́ ministros
Cognoui, cœpta pergite quæso via.
Non animum frangant tormenta, fidesq́ cauete
Deficiat; quotquot sint toleranda, malis.
Præmia magna manent cælesti semper in aula; ”
Hæc vt contingant præmia, ferte viri.
Vos semper colui, ceu fratres semper amaui,
Mancipijsq́ meis officiosa fui.
Æquauit dominam famulis, dominæq́ ministros,
Quam colimus pietas, Christicolûmq́ fides.
Nunc igitur vos ceu fratres moneoq́ rogoq́,
Frangantur nullis pectora vestra malis.
Si bene vos noui, non degenerabitis à me,
Sic eritis fratres tempus in omne mihi.
Hic pius affectus nullo delebitur æuo,
Factus post cineres plus pius atque ratus.
Vos ergo præbete viros; persistite fortes
In dominæ monitis; me duce inite viam.
Dum licet, affari libuit vos ante supremum
Viuendi spacium, quod breue forsan erit.
Mors breuis æternæ dux est ad gaudia vitæ,
His mox vt potiar, mors mihi dulcis erit.
Huic animos fortes & vos corpusq́ parate,
Gaudia vt hæc vobis dentur in arce poli.

Interea

Interea precibus me commendate Tonanti,
Vosq; valere fide non dubitante, precor.

Romæ. Anno 260.

Argumentum quartæ Epistolæ.

Expetit, explosis dijs, verum discere Numen,
Quoque Deus cultu debeat ille coli.

BARBARA ORIGENI.

Mittitur ex celsa qua claudor, epistola turri
Reddita, vir celebri nomine note mihi.
Acrisius Danaën vt turri fertur ahena
Inclusisse, sibi tristia fata tremens;
Sic me ridicula genitor formidine captus,
Turre tenet clausam, non metuenda timens.
Namq; fidem Christi, timet hic, ne fortè capessam,
Neglectis vanis, quos colit ille, deis.
Huc igitur, ne Christicolûm contagia lædant,
Omnibus accessum colloquiumq; vetat.
Præclari iuuenes captant connubia nostra,
Sed cupidis animis irrita vota fouent.
Nam mecum statui fugitare iugalia vincla,
Conatumq; patris rideo sæpe mei.
Hoc ago, vti detur mihi verum noscere Numen,
Hunc mea nocte petunt tela dieq; scopum.
Firma quies animo continget nulla, priusquàm
Nouero, quem fas sit iure vocare Deum.

Non

Non patrijs opibus moueor, non diuite tæda;
Plus, vbi nostra salus sit sita, scire velim.
Per totum celebris pietas tua spargitur orbem,
Doctrinæq; tuæ publica fama volat.
Oro igitur, per te mihi scrupulus vnus & alter
Tollantur, soliti cor cruciare meum.
Sum prognata quidem generoso sanguine Regum,
Conspicuaq; potens est ditione pater.
Sed generis labes est maxima patrius error,
In quo me genitam iure fuisse queror.
Nam quæ quisque meus popularis numina stultè,
Vel prece vel pecudum sanguine poscit opem;
Crediderim potius (nec fallor) dæmonas esse,
Ludentes technis pectora nostra suis.
Veros esse deos nulla ratione putandum,
Sanguine quos fuso credula turba colit;
Saturnum dico, Phœbum, Martemq; Iouemq;,
Iunonem, Cererem, Pallada, Acidaliam.
Quandoquidem cùm sint mortali stirpe creati,
Mortales homines nemo fuisse neget.
Pollutosq; liquet vitiorum labe fuisse,
Ambitione, odijs, cæde, & adulterijs.
Infames homines quæ reddit vita scelesta,
Diuorum nulli non probra fœda parit.
Sueuerunt homines sontes ob crimina plecti,
Et faciant Superi non leuiora mala?
Est expers Numen (me iudice) criminis omnis,
Nec punire Deus, quæ facit ipse, solet.

Vt breuiter dicam, non fatū aut crimen in illum
Competit, appelles quem sine fraude Deum.
Sap. 13. *Qui numen tribuunt astris, terræve maríve,*
Non minus his errant, & ratione carent.
Nam quantùm noceant, docet experientia crebra,
Dum generant morbos, grādia damna, necem.
Ast homini prodesse Dei est, & ferre salutem,
Cùm mera sit bonitas, vita, salusq; Deus.
Nec video, quare diui simulacra vocentur,
Psal. 113. *Quæ vulgus precibus, sanguine, thure colit.*
Act. 17. *Nam licet os habeant, non possunt verba profari,*
Nec cernunt oculis, quos tribuêre manus.
Non audire queunt, surda nempe aure, precantes,
Illorum ad nares non venit vllus odor.
Tangendi manibus non est concessa facultas,
Sed nec vis pedibus, qua moueantur, inest.
Esa. 44. *Denique sensus abest statuis, quas vulgus adorat,*
Sap. 13. *Quem nequit aut sculptor materiésve dare.*
Has igitur stolidè veneratur vulgus, easq;
Stultè poscit opem, dum sacra libat eis.
Sed neque sunt Diui, qui vulgo oracula reddunt,
Cùm dubijs dictis credula corda mouent.
Iudice me reddunt (nisi fallor) dæmones illa,
Qui sibi deuotos spéque minísque tenent.
Quapropter cùm specto polum, terramq; fretumq;,
Et quæ sunt sensu prædita, quæq; carent;
Credo nihil dubitans, esse hæc autore creata,
Qui solus fini principióque caret.

Sed non aſſequitur multa caligine preſſa
Mens mea, quis fuerit conditor ille potens.
Meonideníq; ideo legi, Aſcræumq; poëtam,
Atque alios vates, grandiloquosq; Sophos;
Certius vt quid de Superis mihi diſcere detur,
Et deſiderij meta ſit iſta mei.
Nam craſſæ plebi Sophia præſtare videntur;
Hos vitæ normam quilibet eſſe putet.
Sed mihi carbones pro theſauro eſſe repertos,
Et luſiſſe operam non ſine iure queror.
Nam quas de Superis nugas ſcripſere Poëtæ,
Materies riſus ſæpe fuère mihi.
Nec ſani deprendo Sophos producere quidquam,
Nam quod hic explodit, mordicus ille tenet.
Mirandi mihi cauſa fuit diſſentio tanta,
Et Democritico dogmata digna ſale.
Denique plus dubiam mẽtem incertamq; reliquit
Lectio dictorum, quàm fuit antè mihi.
Me tamen Odryſij mouit ſententia vatis,
Quem ſenſiſſe puto non malè digna Deo.
Nam celſo nixum ſolio ſuper alta polorum
Culmina, quæ fiunt, cuncta videre canit.
Cunctaq; cùm videat, mortali à nemine cerni;
A ſolo fieri, quidquid in orbe vides.
Cuncta gubernari ſolo ſapienter ab illo,
Liberaq; interitus omnia ſtare ſui.
His quoque fatidicæ conformia multa Sibyllæ
Scripſerunt, pectus ſueta mouere meum.

Et ma-

Et maieſtatem tantam Plato comprobat eſſe
Numinis, vt nequeat mens ſatis eſſe capax.
Nec queat effari, quantumuis lingua diſerta,
Quærereq́ idcirco, quid ſit id, eſſe nefas.
Hac cauſa cuperem quid diſcere certius ex te,
De veri cultu ſeruitióque Dei.
Pſal. 49. *Æternum exoptat mea mẽs cognoſcere Numen,*
Vt poſtquam nôrit, poſtea rite colam.
Sanguine non credo pecorum, delicta piari,
Nam cur mactentur, quæ meruêre nihil?
Si Deus, omnipotens & perfectiſsima mens eſt,
A nobis ritu vult potiore coli.
Nec plures reor eſſe deos, nec Numinis eſſe
Naturas varias multifidasq́ puto.
Æthereos orbes Sol vnus lampade luſtrat,
Nec ſceptrum plures conuenienter habent.
Tantùm vnus curuæ rector ſolet eſſe carinæ,
Et plures dominos non capit vna domus.
Nec plures animæ conſiſtunt corpore in vno,
Vnius & pecori cura præeſſe ſolet.
Sic quem cunctorum credo moderamen habere,
Vnum (non plures) arbitror eſſe Deum.
Præterea dubiam facit hæc me machina mundi,
Æternam magnus quam Stagirita putat.
At Plato diuinus ſumpſiſſe exordia ſcribit,
Cuius iudicium ſanius eſſe reor.
Sed tantæ fabricæ fuerit quis conditor, & quis
Conſeruet, nulla mens ratione capit.

Non

Non ille est genitus Saturno Iuppiter, ante
Quem fuerant hominum millia multa sata.
Cælicolis nec non mortalibus imperet ille,
Quem toties captus lumine vicit Amor?
Illum equidem reor esse magis, quem pectore puro
Christicolæ colitis, quem sacra nulla iuuant.
Sacra, quibus pecoris sanguis contaminat aras,
Crimina quo vulgus posse piare putat.
Audio Christicolûm mores, vitamq́ probari,
Quanquam supplicijs plurima turba perit.
Quodq́ magis miror, nulla formidine mortis Act. 5.
Terrentur, læti maxima ferre mala.
Hoc fieri nequeat, tacito sine numine Diui,
Quem colitis, vires suppeditantis eis.
Hunc validis argumentis verum esse Tonantem
Si mihi monstrâris, hic mihi Numen erit.
Hunc ritu venerabor eo, sacrisq́ litabo,
Quæ mihi præscribes, pectore & ore colens.
Oratum ergò velim te, vir spectate, per illum
Hactenus ignotum, quem venerare, Deum;
Eius vti me notitiam, cultumq́ tabellis,
Vel (quod plus cupiam) voce docere velis.
Aut mittas clarum pietate fideq́ ministrum,
Qui præsens doceat, quæ didicisse velim.
Gratius in terris mihi nil obtingere poßit,
Quàm didicisse, salus pendeat vnde mea.
Si quæ de te fama canit, sunt omnia vera,
Te facilem spes est in mea vota fore.

Sic tibi ſit facilis, ſic te foueatq́; beetq́;
Maximus ille Deus, quem colis, atque Vale.
Nicomediæ, Anno 270.

Argumentum quintæ Epiſtolæ.

Chriſticolûm laudat mores vitamq́; probatam,
Atque pium Chriſti diſcere dogma cupit.

MAMÆA ORIGENI.

TAm latè tua fama volat clariſsime doctor,
Vt nunquam viſum cernere ſæpe velim.
Ad te igitur calamo correpto ſcribere cogor,
Namque ex te coràm diſcere multa velim.
Te duce Chriſticolas totum florere per orbem
Audio, contempta relligione Deûm;
Atque ſequi Chriſtum dictis factisq́; celebrem,
Innocuos, nulli non niſi velle bene.
Commendantur enim mihi puræ nomine vitæ,
Audio quos Chriſti dogmata cunque ſequi.
Quare ſupplicijs demiror multa perire
Millia Chriſticolûm, qui meruêre nihil.
Atque adeò nullas necis exhorreſcere pœnas,
Imò hilari quæuis tormina fronte pati.
Id fieri nequeat, ſi non vis Numinis adſit,
Quo freti metuunt nulla ſubire mala.
Certè ſupplicij per me natumq́; fuère
Immunes, veſtro de grege quotquot erant.
Cæſar Alexander Chriſtum veneratur Ieſum,
Et magni vatis ponit habetq́; loco.

Inq́;

Inq; Deûm idcirco numerum cætumq; referre,
Sæpe fuit nato sedula cura meo.
Ac illi positurus erat sublimia templa,
Si non dissuasum sæpe fuisset ei.
Insuper & Christi statuam, Tharidæq; fidelis
Prosequitur cum dijs Cæsar honore pari.
Quin & Christicolas magno veneratur amore,
Namq; piæ vitæ conspicit esse viros.
Nedum supplicio, quotquot sectantur IESVM,
Afficit, vt fecit Claudius, atque Nero.
Nam cur lædantur, per quos Respublica læsa
Non fuit, & nulli qui nocuisse velint?
Vos Superûm cultum multi violare queruntur,
Vt qui dicatis dæmonas esse deos.
Hoc infanda tegunt illi tormenta colore,
Censeriq; volunt impietate pij.
Certè suspecti mihi sunt, quos credula Roma,
Hactenus vt coluit, credidit esse deos.
Nam quæ dijs nostris tribuuntur, turpia dictu
Plurima sunt, si fas sit mihi vera loqui.
Nam quot adulterijs pollutus Iuppiter ille,
Qui Rex Cælicolûm creditur esse, fuit!
Quid memorem nudos Martē, Veneremq; iacētes?
Ob quos dijs superis risus obortus erat.
Quàm fœdi reliquis de dijs referantur amores,
Non mihi, cùm noris, commemorare libet.
Præterea taceo, quantæ Cælestibus iræ;
Et quæ bella gerant, me meminisse pudet.

De Superis tam ridiculè quæ ſcripſit Homerus,
Sunt ſtolidæ plebi viſa probabilia.
Sed quibus eſt vel mica ſalis, nõ abſque cachinno,
Has Siculas nugas, cum ſtomachoq́ legunt.
Hæc ego dum reputo, mihi nauſea ſæpe mouetur,
Nec dijs attribui ſomnia, ferre queo.
Atque deos ideo nequaquam credo putandos,
Maxima pars hominum clamitet eſſe licet.
Inſuper à vulgo tacitè diſſentio ſæpe,
Cùm ſtupidis ſtatuis plurima ſacra facit.
Iſa. 44. Sap. 13. A fabris nec enim ſtatuæ ſunt numina facta,
Namque illis ſenſus conſtat ineſſe nihil.
Nec facient reſponſa, deos vt credere cogar,
Quum dubios faciant addubitare magis.
Conſuluit Crœſus Delphis oracula Phœbi,
His fretus Cyro ſubdita colla dedit.
Hæc eadem multis alijs peperêre ruinam,
Cùm dubij ſenſus mens nequit eſſe capax.
Sic hominum mentes illudi à dæmone credo,
Qui ſe diuino poſcit honore coli.
Hæc ego dum mecum perpendo ſenſibus imis,
De vero verum noſſe laboro Deo.
Et quia doctrina cunctis pietateq́ præſtas,
Aſpectum exopto, colloquiumq́ tuum;
Vt mihi Chriſticolûm præſens myſteria pandas,
Et tecum Chriſtum, ſingula docta, colam.
In veſtrum vulgò iaciuntur ſcommata IESVM,
Quæ confutandi copia prompta tibi eſt.

Nec

Nec parcunt probris Christum lacerare Sophistæ,
Sed mutant animum scommata nulla meum.
Eximius fuit, atque Dei certißima proles,
Cuius narrantur facta stupenda mihi.
Cuius discipuli toto celebrantur in orbe,
Et pietate graues, & grauitate pij.
Execror in tacita crudelem mente Neronem,
Per quem primores occubuêre viri.
Discipulos dico Christi, fidosq́ ministros,
Facundum Paulum, Pontificemq́ Petrum,
Quorũ hunc non veritus duplici est affigere ligno,
Illius ense caput demere lacte fluens.
Sed nece, qua perdendus erat, se perdidit ipse,
Se ratus indignum iudice luce frui.
Quæ dixi, vt taceam quæ tempus cuncta referre
Non patitur, stimulis pectora nostra mouent.
Et faciunt, vt te præsentem audire laborem,
Namque quies animo non erit ante meo.
Instructos ideoq́ armis tibi mitto ministros,
Ad nos vt veniens nil patiare mali.
Antiochi saluum te sistent rursus in vrbe,
Cùm mihi tradideris, quæ citò scire velim.
Si desit pietas vera, inculpataq́ vita, Iob. 28.
Pro nihilo duco stemmata, opesq́ Tagi. Sap. 7.
Pactoli mirentur opes, mirentur & ostrum,
Qui cum mente solo lumina fixa tenent.
Abdita sunt imo secessu pectoris illa, „
Ex omni quæ nos parte beare queunt. „

Ierem. 9. Qualia ſunt nouiſſe Deum, nouiſſeq́ ſeſe,
Et vitijs nullum linquere poſſe locum:
Virtutum ex ſeſe varios producere fructus,
Et pura nitidos ſcandere mente polos.
Latius hæc tecum ſtatui tractare, fruendi
Cum fuerit nobis copia facta tui.
Protinus oro meis votis facias ſatis, atque
Interea recte vir venerande Vale.
Romæ.

Argumentum ſextæ Epiſtolæ.

Carcere clauſa dolet bona luxu cuncta perire,
Chryſogonuſq́ iuuet ſe prece, poſcit eum.

ANASTASIA CHRYSOGONO.

QVa careo, mitto tibi vir diuine ſalutem
Carceris ex antro, vincula dura ferens.
Huc me, Marmaricos ſuperans feritate leones
Detruſit coniux, peſſima quæque minans.
Impius vxorem non fert pietatis amantem,
Chriſticolam rabido plus cane & angue fugit.
Sum prognata quidē patre, qui ſimulacra colebat, Iob. 28. Sap. 7.
Hæc ſacris venerans, hæc ratus eſſe deos.
At pia Fauſta, mihi matrem quam glorior eſſe,
Non adeo ſtolida prædita mente fuit.
Nam Chriſti eſt amplexa fidē, tenuitq́ per omnē
Conſtanti vitam pectore, fida Deo.

Quæ

Quæ teneram docuit genitrix elementa ſalutis,
Materno cùm vix vbere pulſa forem;
Iam grandeſcentem docuiſti exactius illa,
Inſtituens monitis, ceu tibi nata forem.
Quocirca ratio dictabat, patris vt inſtar
Te colerem, obſeruans qua pietate queam.
Et meritis atro cumularem carcere clauſum,
Inq́ Catechiſtam dicerer eſſe pia.
Sed quoniam patris iuſſu ſum nupta marito,
Qui ſtultè credit dæmonas eſſe deos;
Prætextu morbi fugitaui fœdera lecti,
Ne zonam impurus ſolueret ille mihi.
Atque ideo precibus ſæpe imo pectore fuſis
Oraui, tutor vellet vt eſſe, Deum;
Impius vt coniux non me ſpoliaret honore,
Corporis & mentis qui decus omne meæ eſt.
Nam ſtatui illæſum Chriſto ſeruare pudorem;
Hunc ſponſum pura diligo mente meum.
Et quia muneribus te foui carcere clauſum,
Quoſq́ alios miſeros ſors inimica premit;
Exarſit coniux odijs atrocibus in me,
Atque graui ſtrictam compede crura tenet.
Conficior macie, pædoreq́ carceris atri,
Et me fata manent forſitan ante diem.
Stat tamen inuicta perferre hæc omnia mente,
Vt Chriſto placeam, cuius amore fero.
Mitigat is famulæ pœnas, conuicia, damna,
Et mortem, ſi me ferre neceſſe foret.

At mihi, dum vinclis stringor, squalloreq́ue tætro
 Enecor, accedunt non leuiora mala.
Quandoquidem scortis cũ turpibus ille profundit,
 Quas defuncta mihi Fausta reliquit, opes.
Has ita consumi, tanti est mihi causa doloris,
 Vt non sufficiat lingua referre tibi.
His etenim Christi famulos, quos vrget egestas,
 Firmum consilium participare fuit.
Imò ex asse Deo voui, propriasq́ue dicaui,
 Quas nunc dilapidat perdita turba male.
Inuigiles igitur precibus, te quæso, maritus
 Vt nostræ fidei dogmata sancta probet.
Inq́ue Dei natum resipiscens credat IESVM,
 Ne non seruetur, qui periturus erat.
Aut insistenti cæcis erroribus omnis
 Si resipiscendi spes sit adempta viro,
Iam nunc è viuis excedat, & interiturus
 Ocyus intereat, ne mala plura patret.
Excussoq́ue iugo, quo me premit ille, ministris
 Impendam Christi, distribuamq́ue bona.
Deinde dicem Christo, quæ restant tempora vitæ,
 Cui soli vitæ mancipo fata meæ.
Ille sua quod de famula statuitq́ue, iubetq́ue,
 Semper, quo potero pectore ferre, feram.
Sæpius interea me consolare dolentem,
 Vt leuius, quæ sunt cunque ferenda, premant.
Atque pijs precibus me commendare Tonanti
 Digneris, ne non sit mihi firma fides.

Qua ſtabilita feram patienti pectore quæuis,
Quæ, dum vita manet, ſunt toleranda mihi.
Sic tibi, quæ Chriſti ſunt nomine cunque ferenda,
Det mala ferre Deus fortiter, atque Vale.
Romæ. Anno 284.

Argumentum ſeptimæ Epiſtolæ.

Diſcipulam mœſtam ſancto ſolamine firmat,
De Chriſtiq; fide nil dubitare iubet.

CHRYSOGONVS ANASTASIÆ.

PLena fuit multo gemitu mœſtiſq; querelis,
Quam mihi miſiſti, littera, chara ſoror.
Carcere te quereris crudeli à coniuge claudi
Hac cauſa, quòd ſis dogma profeſſa pium.
Dogma pium, ſacro quod Chriſtus tradidit ore,
Vnde ſalus hominum pendet, & vnde venit.
A ſcortiſq;, parens bona quæ poſt fata reliquit,
Turpiter abſumi, diſsimulare nequis.
Vt quæ pauperibus mâlis impendere, & optes
, Officijs Chriſti membra fouere pijs.
Quas ſcribis, ſunt inſignes iuſtæq; querelæ,
Et vix, quæ pateris, ſunt toleranda mala.
Sed firma confide Deo ſpe nixa; malorum
Spe citius finem ne dubitato fore.
Eſt breuis in terris omnis preſſura piorum, ”
Quam ſpes mercedis ſubleuat, atque fides. ”

Nunc licèt oppugnent Austro stridente procellæ
Quassatam cymbam, salua erit illa tamen.
Nulla tyrannorum vis Christo vindice fretam
Lædere te poterit, sit modò firma fides.
Vno in te Stygiæ coniurent ore cateruæ,
Te lædent nutu non tamen absque Dei.
Cumq́ malis animo tantùm non deficis, atque
Ad lapsum sors te pondere dura trahit;
Ne succumbe tamen, sed cum Dauide propheta
Dic animum reuocans, spemq́ redire iubens;
Psal. 41. *Cur me sollicitis mens ægra doloribus angis?*
Pone metum, & toto pectore fide Deo.
In medijs erit ille malis protectio fida,
Omnibus eripiet, quæ mala cunque premant.
Esa. 64. *Præmia magna manent patientē nomine Christi,*
1 Cor. 2. *Quanta foret minimè dicere lingua potis.*
" *Profluxis bona reddentur cælestia, nullo*
" *Tempore quæ finem sunt habitura suum.*
Ne doleas igitur fortunæ dona perire,
Christigenæ curæ sunt pia turba Deo.
Sufficit esse voluntatem promptamq́ piamq́;
Quæ donare velis, crede dedisse bona.
Non equidem damno, quo discruciare, dolorem,
Votum namque tuum pollice vtroque probo.
Psal. 36. *Dissimulat Deus ad tempus non pauca nefanda,*
Impunita tamen non sinit esse diu.
Ille voluntatem spectat, mentemq́ fidelem
Comprobat, & duris rebus adesse solet.

Ergo

Ergo Deo curis, quibus haud potes ipsa mederi,
Commissis, spera non dubitante fide,
Carceris eripiet tenebris, manibusq; mariti,
Istud Anastasiæ si putat esse bonum.
Vota solet tardè Deus exaudire piorum,
Gratia quò meriti sit diuturna magis. „
Nec turbère, malis quòd tot crucieris iniquè, „
Cùm Christum pura relligione colas. 1. Pet. 4.
Sic fidei monimenta tuæ das, sic & amoris,
Si præter meritum læta premare malis.
Haud fallax tibi cæpta fides est, imò salutem
Ducit ad æternam semita cæpta tibi.
Macte pugil Christi, nullorum fracta malorum
Pondere, quantumuis aspera ferre putes.
Emicet infractis animis tua mascula virtus,
Omnia te Christi nomine ferre iuuet.
Nunc quod es à teneris annis meditata, patescat,
Cor quanto Christi flagret amore doce.
Vt bonitas auri multo spectatur in igne, Prou. 17.
Sic Virtus, patitur dum mala multa, nitet. Sap. 3
A solo pendère Deo decet, atque necesse est,
Hinc tibi præsidium, non aliundè pete.
Fallax auxilium, quodcunque aliundè requiris;
Mortales nescit fallere cura Dei. „
Promissis manet ille suis, perstatq; fidelis,
Ille pijs confert indubitanter opem.
Non nisi legitimè certanti nomine Christi
Præmia reddentur, quæ sine fine manent. 2. Tim. 3.

Non

Non igitur pigeat Christi patienter amore,
Hæc præter meritum grandia ferre mala.
Namque rependetur breuis hic labor atq; pusillus,
Arcis in ætheriæ sede, quiete tibi.
Illi pacta fides si manserit integra per te,
Constanti nunquam non erit ille fide.
Hæc animos spes sufficiat tibi, robur & addat,
Quò vincas, quotquot sunt patienda mala.
Sic, quanto Christi flagres, constabit, amore;
Ne non sis eius sponsa, fer, atque Vale.
Romæ, Anno 284.

Argumentum octauæ Epistolæ.

Carcere pro Christo claudi gauisa maritum,
Intrepidum hortatur, nulla timere mala.

NATALIA ADRIANO.

CVm missis tabulis Natalia mitto salutem,
Firmamq́; opto fidem, chare marite, tibi.
Sæpe quidem dolui sæua te mente cruorem
Fundere Christicolûm, suppliciisq́; frui.
Indignisq́; pios homines affligere pœnis,
Insontesq́; truci dedere velle neci.
Scilicet Induperatorem quò cædibus istis
Osorem Christi demereare tibi;
Et diis, humano qui gaudent sanguine fuso,
Hoc est, dæmonibus gratificêre tuis.
Perculit ingenti tua me caligo dolore,
Quæ stolidam mentem presserat antè tuam.

Nam

Nam cùm mortalis generis ſint dæmones hoſtes,
Perdere nituntur nos Acherontis aquis.
Hinc fit vt humanas ſtudeant euertere mentes,
Atque animæ lucis nil ſupereſſe velint.
In tantasq́ homines tenebras labantur, vt ipſum
Ignorent hominum Cælicolúmque Patrem.
Quin & diuinos audent ſibi poſcere honores
Dæmones, atque coli ſanguine, thure, prece.
Hic homines error tenuit per ſæcula multa,
Quà Phœbus radios ſpargit ab axe ſuos.
Sed Deus ætherea tandem reſpexit ab arce,
Atque hunc errorem non ſupereſſe tulit. Deut. 28.
Nam quem præſago cecinerunt pectore vates, Eſa. 7. 11.
Venturum in terras plebis amore ſuæ; Mich. 5.
Editus in lucem eſt intacta Virginis aluo, Lucæ 2.
Ærumnas noſtro nomine mille ferens. Eſaiæ 53.
Monſtrauitq́ viam, quæ ducit ad ætheris arces,
Miraclis, monitis, ſaluificáque nece.
Nunc igitur totum cùm ſit diffuſa per orbem
Gratia, & in Chriſtum ſit celebrata fides;
Mille furens dæmon verſat ſub pectore fraudes,
Atque imo furias ex Acheronte vocat.
Scilicet à Chriſto fidei vt fundamina iacta
Subruat, atque fides cum pietate cadat.
Ille ſed infœlix conatus ſumit inanes, Matt. 16.
Nam Chriſti ſtabit tempus in omne fides.
Illius, imperio Chriſti, vis fracta labaſcit; Ioan. 8.
Maiori par eſt cedat vt ille minor.

Mendacem par est veraci cedere Christo,
Et tenebras luci, Tartareosq́ Deo.
In Lycia sortes, Delphis oracula nulla,
Concedens Christo, reddit Apollo vafer.
Nũc silet Amphilochus, silet Amphiaraus & Am-
Cirrhæusq́ tripus, perstreperusq́ lebes. (non,
Nunc Dodonæus, non hiscere Iuppiter audet;
Vaniloquum vatem conticuisse decet.
Plurima sunt æquata solo delubra deorum,
Exornatum auro quæ decorabat ebur.
Quosq́ nefas fuerat lucos excidere quondam,
Perraros vsquam nunc superesse vides.
Esa 17.31. *Tempus erit, cùm nulla Deûm simulacra colentur,*
Psal. 49. *Nullaq́ dæmonibus victima cæsa cadet.*
Ioan. 4. *Sed pura totum per mundum mente coletur,*
Ioan. 10. *Numine qui complet cuncta regitq́, Deus.*
Erroris veteris quotquot vestigia restant,
Iam iam spero Deo nulla fauente fore.
Nomine sæpe tuo dolui, quòd tempore tanto
Impietas animo sederit illa tuo.
Carcere sed postquam tenuerũt vincula strictum,
Implêrunt pectus gaudia magna meum.
Vincula lætitiæ tua sunt mihi maxima causa,
Vt quæ te fidei nomine dura premant.
Te mihi plus charum Fideï communio fecit,
Quàm fueris, quo sum tempore nupta tibi.
Hæc facit, vt vero te nunc complectar amore,
Quæq́ premunt, grater vincula sæua tibi.

Nec

Nec dubito, quin te placido respexerit ore
Christus, & errorem dempserit ipse tibi.
Nam pœnas tolerare graues tam pectore forti
Christicolas, tibi res digna stupore fuit.
Militiæ suetos mala multos ferre per annos,
Quæ tolerant nymphæ, non potuisse pati.
Id fieri non posse ratus sine mente Tonantis,
Sensisti Numen cor agitare tuum.
Incaluit pectus tacito diuinitus æstro,
Et stimulis fidei mens fuit icta tibi.
Quapropter metuens haud vlla pericula vitæ,
Discipulus Christi factus es, atque manes.
Sidere Christigenûm fœlice es scriptus in albo,
Dura licet scires esse ferenda tibi.
Non sæui rigidas metuisti Cæsaris iras,
Quamuis supplicijs afficiendus eras.
Nunc demum sunt connubij rata vincula nostri,
Nunc mihi te fidei nomine duco virum.
Nunc igitur supplex rogo te, tormenta tyranni
Sint tibi terrori nulla, metúmve ferant.
Exiguum est, quidquid Christi toleramus amore, Rom. 8.
Maxima si spectes præmia, danda pijs. ”
Vsibus vt ferrum cernis splendescere, sic &
Enitet aduersis exagitata fides.
Vera fides duris spectatur, vt ignibus aurum; Prou. 7.
Nulla reformidat tristia vera fides. Sap. 3.
Si sit firma fides; vires dabit ille ferendi,
Cuius amore subis, quæ mala cunque premunt.

Cur

Cur Christo vitam dubites impendere, quam mors
Caniciem forsan finiet ante tuam?
Cur mortem metuas, cùm sit via recta salutis,
Afflictis reserans cælica regna pijs?
Nil veritus sæuasq́; minas, Tragicosq́; tumultus,
Numen fine carens principioq́;, time.
Vnde venit, quodcunque potest mortalis, & vnde,
In toto quidquid suspicis orbe, venit.
Christicolûm qui fudisti persæpe cruorem,
Fundere sis Christi promptus amore tuum.
Non nisi certanti redduntur præmia; vt illa
Obtineas, pugna fortiter, atque Vale.
Romæ, Anno 285.

Argumentum nonæ Epistolæ.

Impietate sui nati dolet optima mater,
Neu pereat, Christi dogma probare monet.

LVCIA EVTROPIO.

T*Ollere quam matri studuisti nate, salutem,*
Vt valeas mente & corpore, mitto tibi.
Si versus ægrè sunt ducti, plurima lapsa
Inter scribendum lacryma, causa fuit.
Carcere non doleo me Christi nomine claudi,
Cuius amore velim tristia fata pati.
Sed quem portauêre decem mea viscera menses,
Hic clausisse sua proditione queror.
Non dedit exitio genitores vlla ferarum;
His fœtus parcunt, extimulante fame.

Quærere

Quærere cùm nescit grandæua Ciconia victum,
Nutrit eam proles sedulitate pia.
Illud si faciunt volucres rationis inanes,
Quantò plus hominem par foret esse pium!
Christicolûm fidei te suggillasse parentem,
Vt pœnas, veluti digna perire, luam?
An quia grandæuæ labuntur plurima lustra,
Cultricem Christi desipuisse putas?
Delirasse putas hominum tot millia, Christi
Nomine qui pœnas sustinuère graues?
Qui non pollicitis flecti potuêre minísve,
Vt sacra dijs facerent, desererentq́ fidem.
Quorum Martyrium decantat fama celebris,
Et monimenta pio non sine honore manent.
Hæc in honore manent, at Regum nulla supersunt
Nomina, qui celebres ante fuère tamen.
Imò fides est Christigenûm sapientia prima; 1. Cor. 1.
Vt verè sapiam, si sapio, vna facit.
Quæ grandes docuêre Sophi, sunt somnia vana, 1. Cor. 3.
Christicolûm scitis assimilata pijs.
Ducit namque fides Christi ad Cælestia regna, Hebr. 11.
Speranda est homini non aliundè salus.
Laudibus extollat Sapientes Græcia septem,
Sit Plato diuinus, magnus Aristoteles.
Vix vmbram nôrunt virtutum, dogmata quæuis
Præscribunt multis multa voluminibus.
Nam quos fama canit virtutis nomine claros,
Captata claros laude fuisse reor.

„ *Quandoquidem Christi sine notitiaq́ue fideq́ue,*
„ *Est virtus, præter nomen inane, nihil.*
Errantum nec turba potest defendere quemquam;
„ *A recto quidquid discrepat, omne malum.*
Quamuis namque deos vanissima numina maior
Pars orbis coluit, seu prece, siue sacris;
Non tamen à cultu Christi me flectet IESV,
Qui multis sæclis error in orbe fuit.
Quæ memoratur enim de dijs, sunt turpia dictu,
Atque indigna viro, qui probus esse velit.
Pollutos tot adulterijs & cædibus, alta
Quis sanus cæli censeat arce frui?
Ephes. 5. *Rectius eloquijs sacris hoc posse negatur*
Apoc. 21. *Confieri, quæ sunt indubitata pijs.*
Si mentis spectes oculis caligine dempta,
Quos stultè credat Roma colatq́ue deos;
Tot sæclis eius fuerit dementia quanta,
Quamq́ue vafra dæmon luserit arte, scies.
Si namque ad trutinam vita expendatur eorum,
Dijs dignæ penitus nil probitatis habent.
Imò supplicijs deprendes crimina digna,
Non nisi Tartareis excrucianda rogis.
Nonne trucidati maculatus sanguine fratris,
Romulus à vulgo creditur esse deus?
Iuppiter, Alcides, Bromius, Gradiuus, Apollo,
Cum Iunone, Venus, Flora, Diana, Rhea,
Innumeriq́ue alij sunt, quos vrbs alta Quirini
Pro Superis vana relligione colit.

Quorum

Quorum cùm fuerit multo ſpurciſsima vita,
Non video, cur vt numina, ſtulta colat.
Errorem grauium ſum demirata virorum
Sæpe, quòd impuros numina vera putent.
Sunt, quibus aut Cælũ, vel ſidera, terra, fretúmve Sap. 13.
Numinis eſt inſtar; his ſua vota ferunt.
Non pudet ergo Creatori præferre creata?
Non pudet his miſeros poſtpoſuiſſe Deum?
Nam Deus eſt vnus, cuius ſunt condita verbo, Pſal. 32.
Quæq́; videre potes, quæq́; videre nequis.
Cui propria eſt bonitas, nec non immenſa poteſtas,
Claudere quem ſolum tempora nulla queunt. Hebr. 1.
Huius amore flagro; cultu diuellet ab huius Rom. 8.
Non Cæſar, nec quæ tormina cunque parat.
Pædorem tolerare iuuat me carceris atri,
Quæq́; pedes ſtringunt vincula, ferre iuuat.
Infracto impauidoq́; animo tormenta ſubibo,
Nomine quæ Chriſti ſunt patienda mihi.
Iudice ſi damnante caput reſecabitur enſe,
Intrepidam reddet gratia Chriſte tua.
Hoc tantũ precor, vt cum ſanguine fundere vitam
Digna habear, Chriſti teſtificata fidem.
Atque vtinam non degeneres à matre, fidemq́;
Hanc amplectaris, qua ſine nulla ſalus. Marc. 16.
Ex animo ſic dilectus mihi filius eſſes,
Non quaſi ſuppoſitus, degener, atque nothus.
Hanc amplectêris, ſi qua eſt tibi cura ſalutis,
Nec metues iram Cæſaris atque minas.

Matt. 10. *Qui corpus lædunt, animam non lædere possunt,*
Si modò perstiterit non violata fides.
Sunt potius tormenta pijs compendia vitæ,
Quæ continget eis post tolerata mala.
At contra Phlegetontæo cruciabitur igni
Impius, vnde salus est sibi nulla super.
Ioan. 5. *Alteruter genus humanum manet exitus, aut*
Matt. 25. *Dependenda malis, dandáve vita pijs. (mors*
Hæc imis vtinam tibi sint infixa medullis,
Et sapias eadem cum genitrice tua.
Sic ex hac vita discedere lætior essem,
Sic nati genitrix glorier esse mei.
Hoc, donec dabitur spirare, rogabo Tonantem,
Vt veræ fidei det tibi scita sequi.
Te per maternæ pietatis pignora, te per
Defuncti patris deprecor ossa tui;
Vt Christi sectêre ducis vestigia sancta,
Errorem fugitans, qui tibi mente sedet.
Vtq; renascaris lustratus fonte sacrato;
Protinus hoc facies, si sapis, atque Vale.
Romæ, Anno 287.

Argumentum decimæ Epistolæ.

Se fidei causa constringi compede gaudet
Lucia, & hinc matrem nil trepidare iubet.

LVCIA EVTITIÆ.

QVam mihi nũc spero, genitrix, tibi mitto salu-
Cõpede dũ strictã carcer opacus habet. (tẽ,

Nomine

Nomine quæso meo procul absit causa dolendi,
Carcere quòd tenear clausa, malisq́; premar.
Quod fuit in votis puerili semper ab æuo,
Gaudeo præstandi tempus adesse mihi.
Intrepidum genitrix animum mihi iustiùs addas,
Quando piam pugnam tempus inire monet.
Antiochus vesci Machabæos carne suilla, 2. Mach. 6. 7.
Blanditias miscens, iusserat, atque minas.
Hoc vt ne facerent, hortata est sedulò mater,
Non precibus flecti suppliciísve iubens.
Vnica cura fuit genitrici, ne quis eorum
Succumbat pugnæ, deficiátve metu.
Si septena tulit natorum fata suorum,
Quæ mihi nunc instat, ne remorare necem.
Quos natura dedit, Christi resecemus amore
Affectus, vt mens tendat ad alta magis.
Postponenda Deo sunt omnia, prædia, nati, Matt. 10.
Coniux atque parens, denique vita quoque. Lucæ 14.
Eximia est virtus pro Christo occumbere morti, ”
Vt manifestentur Spes, Amor, atque Fides.
Hæc infixa animo profiteri libera debet Rom. 10.
Lingua palam, pœnæ non trepidare metu.
Insuper & factis ea declarare necesse est,
Vt Christi fiat gloria nota magis.
Cùm furor insani premit impietasq́; tyranni,
Impauida par est mente subire necem.
Tormentis igitur decreui cedere nullis,
Innumeris quamuis sim crucianda malis.

Vt Christum studui teneris cognoscere ab annis,
Sic semper colui, qua pietate queo.
Huic seruabo fidem, mentemq́ dicabo pudicam,
Dum Phœbi cernent lumina nostra iubar.
Hanc non eripiet sponsus precibúsve minísve,
Supplicia intentet maxima quæque licet.
Thesaurum nullum scio, qui sit charior illo,
Grandescens ætas est mihi chara minus.
Regno Sicaniæ nolim mutare pudorem,
Quem Christo sacrum sit violare nefas.
Est oculis homini nil carius, hos tamen ambos
Eruar antè, pudor quàm mihi læsus erit.
Huic vtinam iuueni non desponsata fuissem,
A cuius thalamo mens aliena mihi est.
Namque fides promissa Deo, seruanda pudicè est,
Corporis & mentis labe perinde carens.
2. Cor. 6. Non bene Christigenis idololatrisq́ profanis
Conuenit; vnitos non decet esse iugo.
Hi mirantur opes, quas illi linquere malunt,
Nam nihil in terris est, quod amare queant.
Quæq́ illis grata est, his est odiosa voluptas;
Hi captant, illi quæ fugitare solent.
Obfirmaui animum mortali nubere nulli,
Nedum idololatræ nubere digner ego.
Atque ideo quæ dos fuerat mihi danda sat ampla,
Pauperibus, Christi nomine, tota data est.
Suadebas seruare, tibi dum vita daretur,
Dandam pauperibus post tua fata fore.

Aſt ego contendi, bona dum ſunt noſtra, benigna Hebr. 13.
Eſſe inopi turbæ diſtribuenda manu.
Nec ſeruanda, niſi quibus hæc ſit vita fouenda,
Vt mens tota Deo rite vacare queat.
Nā theſaurus vbi eſt, ibi mēs quoq; noſtra quieſcit, Matth. 6.
Humanam mentem vendicat ille ſibi. „
Nil præter Chriſtū, qui Chriſti eſt, quærit habere, „
Præter eum ſatiat pectora noſtra nihil. „
His ego contendi dictis, non parcere doti,
Non noſtri curam defore namque Deo.
Aſſenſiſti igitur, ſubſtantiaq́; omnis egenis
Eſt impenſa pijs, quæ mihi danda fuit.
Hac iuuit Chriſti paupercula membra fouere;
Impendi meliùs non potuêre bona.
Sponſus vt audiuit me vendere prædia, gemmas,
Et quauis ex re quærere lucra mihi;
Nutricem rogitat, qua cauſa hæc omnia vendam,
Quæ luſit iuuenem dexteritate vafra.
Eſt venalis, ait, pretij poſſeſſio magni, Matth. 13.
Hanc vt emat ſponſo, vendidit illa, ſuo.
Non intellexit mentem, factumq́; probauit
Credulus, hac dignus credulitate capi.
Aſt intellecto fuco, hic excanduit in me,
Inſimulatq́; notæ, quæ decus omne meum eſt.
Quandoquidem Chriſti cultricem clamitat eſſe,
Poſtpoſitis, vulgus quos colit omne, deis.
Vnde ſalus animæ dependet, id obijcit ille,
Ceu ſonti, clauſæ carcere multa minans.

In me Paschasius fremit, atque extrema minatur;
Blanditijs tentat, terrificatq́; minis.
Sed veterem vt quercum certant euertere frustra,
Eurus cum Zephyro, cum Boreaq́; Notus;
Matt. 7. *Sic & me solido nixam fundamine Christo,*
Haud poterunt pessum tormina sæua dare.
Sacra Syracosij Cereri nataq́; tyranno
A Stygio raptæ, votaq́; facta litent.
Non patrij tamen erroris me facta mouebunt,
Semina quæ risus sæpe dedere mihi.
Non venerabor enim mortali semine cretos,
Quæ Regi Superûm sunt facienda, sacris.
Idolis nullis faciam sacra; dæmona nunquam,
Postposito Christo, corpore prona colam.
Huc nullis ego supplicijs compellar, vt in me
Hæc cadat impietas, sacrificemq́; deis.
Illæsam seruabo fidem, dum vixero, Christo;
Is meus est sponsus; nil amo præter eum.
Nos Christi pietas ambas inuitat abundè,
Ad firmamq́; fidem, seruitiumq́; pium.
Namque pia Catanā cùm essemus mente profectæ,
Oraturæ Agathan, vt prece ferret opem;
Est meritis precibusq́; Deæ permotus IESVS,
Sanguinis & fluxus desijt ille tuus.
Sistere eum poterat Medicorum nulla facultas:
Profluuio Medicus nemo ferebat opem.
At precibus Diuæ redijsti corpore sano,
Quidq́; fides valeat firma, videre fuit.

Nos

Nos ergo in Christum gratas decet esse; piasq́;
Moribus innocuis, & vigilante fide.
Apparet pietas ante omnia rebus in arctis, ”
Res aduersa fidem sola probare solet. ”
Hanc ope diuina (Christi pietate iubente) Hebr. 11.
Nunc declarabo, non labefacta malis.
Ergo tuæ natæ ne sis, rogo, nomine mæsta,
Sed robur fidei posce mihi, atque Vale.
Syracusis, Anno 310.

Argumentum vndecimæ Epistolæ.

Inuenisse Crucem Christi non absque labore,
Læta suo nato scribit ab vrbe sacra.

HELENA CONSTANTINO.

NVncia successus hæc, Constantine, tabella
Missa venit Solymis, à genitrice tua.
Christi relligio, Syluestri tradita verbis,
Radices egit, pectore fixa meo.
Atque ope cœlesti postquam Maxentius hostis
Deuictus liquit clara trophæa tibi;
Cœpit amore crucis, tibi qua victoria parta est,
Cor mihi succendi, Christigenûmq́; fide.
Visendiq́; sacram flagrare cupidine terram,
Quæ requiem menti non tulit esse meæ.
Quæ Christi portare fuit sanctissima membra
Digna, inquam, Crux est inuenienda mihi.
Non longum absterrebat iter, non grandior ætas,
Sed nauim scandi, freta Tonantis ope.

Nocturno visu monita & pietate, profecta
Sum Solymam quondam relligione sacram.
Quæsiuiq́; Crucem sacratam sanguine Christi,
Vnde salus hominum pendet, & omne decus.
Votorum compos tandem sum facta meorum,
Vixq́; meum pectus gaudia summa capit.
Nam quæsita diu Crux est inuenta labore
Non sine, quæ Christi tincta cruore fuit.
Hunc ego thesaurum quæsiui sedulò, multos
Percunctata viros signa locumq́; Crucis.
Sed quod vel dictu fœdum est, locus ille prophanus
Constructa spurcæ Cypridis æde fuit.
Id Christi osores fecêre, Crucisq́; sacratæ,
Vt nulla amborum sint monimenta super.
Aut si cui locus ille foret sacer atque verendus,
Dicatur diuæ cultor Acidaliæ.
Hoc vbi resciui, Crucis indignabar amore,
Quærendæq́; eius plus studiosa fui.
Collectisq́; operis altè perquirere iussi,
Inuentæ donec nomine læta forem.
Postquam ergo Veneris delubrum concidit, atque
Sunt effossa alto rudera multa scrobe;
Inuenta Cruce quæsita, fecêre repentè
Suspensos aliæ nos dubitare duæ.
Christi namque Crucē reliquis discernere quibat
Nemo; nihil titulus profuit ille triplex.
Ioan. 19. *Hebræa titulus scriptus linguaq́; Pelasga,*
Quæq́; est Ausonijs publica lingua viris.

Quæ res non minimè turbauit gaudia nostra,
Sed Deus ambiguos non tulit esse diu.
Morbo namque graui mulier generosa laborans
Hic fuit, & vitæ certa pericla timens.
Huic igitur, multis precibus lacrymisq́; profusis,
Admouit supplex Præsul vtramque Crucem.
Cùm nihil efficeret, miseranti Numine fretus,
Applicuit reliquam, quæ releuaret eam.
Nec mora, quotquot erãt, rẽ spectauêre stupendã,
Quam meritis hymnis postera sæcla canent.
Nam mox erecta est reparatis viribus illa,
Sanior & pisce est, quæ moritura fuit.
Gestit lætitia mulier, laudesq́; Tonanti
Decantat, quòd sit reddita vita sibi.
Morbus enim vehemens spẽ vitæ depserat oẽm,
Artubus afflictis vltima fata minans.
Quisquis erat præsens, facti nouitate stupebat,
Hanc minimè dubitãs Christiferã esse Crucem.
Ingeminant plausis mecum, quicunque fuêre
Cultores Christi, lætitiáque strepunt.
Vt taceam, quot sint amplexi dogmata Christi,
Vi Crucis attoniti, quæ modò visa fuit.
Ergo locum, quo Crux fuerat prius abdita, sacra
Æde fuit visum condecorare mihi.
Argentoq́; Crucis partẽ tectã vndique linquam
In templo; pars est altera magna mihi.
Hanc clauosq́;, quibus confixa fuêre manusq́; "
Atque pedes Christi, munera seruo tibi.

Hæc

Hæc amuleta tibi dabo præstantiſsima, quæuis
Aduerſus, quæ te lædere cunque queant.
His clauis freto, terra, pontoq; nocere
Nil poterit, ni mens ſit modò læua mihi.
Huic gazæ non eſt aurum æquiparabile cunctum,
Quod Tagus, atq; auro turbidus Herm' habet,
Inſuper hæc gẽmas præſtat Gangetidas, omnes
Vincit opes, quotquot decolor Indus habet.
Denique ei nunquam lateres æquauero Creſi;
Hanc tibi dum donem ſoſpita nate, Vale.
Ieroſolymis, Anno 326.

Argumentum duodecimæ Epiſtolæ.

Narrat, & emendat Thais vitæ acta prioris,
Solamenque pium poſcit adeſſe ſibi.

THAIS PAPHNVTIO.

ANguſta venit ex cella, Pater optime, teſtis
In te grati animi littera miſſa tibi.
Ex cella, quæ me iamdudum detinet, hic vt
Sola, iuuentutis crimina fœda fleam.
Idq; tuo iuſſu, per quem via recta ſalutis
Eſt monſtrata mihi, cùm peritura forem.
Heu, quantus miſerã quondam me cæperat error,
Heu, quantis tenebris mens mihi preſſa fuit!
Florentis quoties ſuccurrunt acta iuuentæ,
Hinc horror trepidam corripit, inde pudor.

Me

Me nisi seruasset pietas immensa Tonantis,
Ignis Auernalis tormina iure feram.
Semper enim me delicijs explere studebam,
Et solum genium cura fouere fuit.
Illecebris iuuenes verbisq́ procacibus ad me
Attraxi, captans, insidiasq́ struens;
Vt mecum pereant, succensi pectora flammis,
Quas leuis in vacuo pectore gignit Amor.
Iamq́ furor tantus mentes inuasit eorum,
Vt mihi, ceu victi, colla premenda darent.
Nam bona vendebant, congesta labore paterno,
Vt multo facilis munere cuique forem.
Multi muneribusq́ datis, opibusq́ profusis,
Cœperunt ringi, pauperieq́ premi.
Limina quin etiam maduerunt nostra cruore
Sæpius, exortis litibus inter eos.
Namque videbatur sibi terque quaterq́ beatus,
Cui tam formosæ copia facta foret.
Sic inopes mentis lusi dementior ipsa,
Sic multi technis interiêre meis.
Quod Pater obseruande tuas vt venit ad aures,
Commotum zelo te doluisse ferunt.
Quare dissimulans quod eras, commercia mecum
Fingebas solido velle subire dato.
Cumq́ locum magis arcanum, plus lusibus aptum
Monstrari cuperes, mens mihi mota fuit.
Quantumuis, inquam, secretus sit locus ipse,
Facta tamen superos nulla latere queunt.

Esse

Esse Deum fassam percontabaris, an vltor
Sit delictorum, præmia detq́; pijs.
Præmia cùm iustis olim reddenda faterer;
Et pœnas sonti cuique manere suas;
Hæc, inquis, si nota tibi, credisq́; futura,
Perdere te quare, tot iuuenesq́; studes?
Quorum perditio tibi quòd grauiora parabit
Supplicia, in mentem non venit ergo tibi?
His verbis trepidare metu mea viscera sensi,
Et grauis inuasit pectora nostra dolor.
Procumbens igitur, vitæ mihi turpiter actæ
Exores veniam, te gemibunda precor.
Fidere iussa, mihi peto tres non amplius horas,
Rite quibus faciam, quæ faciunda forent.
His mihi concessis, veneris monimenta nefandæ
Cuncta rogis, multo non sine teste, cremo.
Illa quadringentis quamuis valuêre talentis,
Non iactura tamen me remorata fuit.
Me magis angebat non vno crimine dudum
Penè amissa salus, vix reparanda mihi.
Tendebam rectà tætras Acherontis ad vndas,
Ad sanam mentem ni reuocata forem.
Ionæ 1. *Dixisses similem stertenti, agitantibus Euris*
Æquora, cùm raptat sæua procella ratem.
Ventorum rabie cùm fertur nauis in altum,
Psal. 106. *Iamiam tacturam sidera celsa putes.*
Cùm mox ima petit vada subsidentibus vndis,
Iam descensuram tartara in atra putes.

Vt ta-

Vt taceam ſcopulos, in quos impingere poſsit
Naufragus, & metuit nulla pericla tamen.
In tanto rerum diſcrimine ſtertit is altum,
Nec, ſe circumſtent quanta pericla, videt.
At pòſt euigilans, ſomnum clamore fugante,
Se nimium ſtupida mente fuiſſe videt.
Et iam ſeruandæ vitæ ſtudioſus, id vnum
Nunc agit, vt ſaluus littora tuta petat.
Quare quæ mala cunque fero cella hac in opaca,
Spe ſeruandæ animæ me tolerare iuuat.
Quid memorē lacrymas, atque alto pectore ductos
Perpetuos gemitus, aſsiduasq́; preces?
Debile quid corpus morbisq́; fameq́; ſitiq́;?
Dæmonis aſſultus, multiplicesq́; dolos?
Obijciunt vitæ mihi dæmones acta prioris,
Ocia, delicias, atque relicta bona.
Hortantur taciti repetam mellita venena,
Dulcia quæ guſtu pòſt Phlegetonte crement.
Men' iterum reddam ruptis inſana catenis?
Mancipium ventris me iuuet eſſe mei?
More canis repetam vomitum? corpus ſuis inſtar Prou.26.
Lota volutabri polluar ergo luto? 2. Pet. 2.
Veſcier antè mihi vitali luce negetur,
Et ſubeam Stygios flebilis vmbra lacus;
Quàm portū, quo naue feror, non quærere pergam,
Donec Cælicolûm ſit mihi parta quies.
Nunc vitæ pudet anteactæ, nūc pœnitet vnquam Roma.6.
Admiſiſſe, pudor quæ memorare vetat.

Nunc,

Nunc, quæ me iuuêre prius, detestor & odi,
Deliciæ nunc sunt aspera vita meæ.
Atque vtinam flectat hæc omnia Numinis iram,
Et mihi dent facilem propitiumq; Deum.
De pietate Dei desistam fidere nunquam,
Ezec. 18. *Cum sontis nunquam respuat ille preces.*
Labitur, hac cella dum claudor, tertius annus;
Interea lacrymis ora genasq; rigor.
Et nullo non clamo die, Miserere benigne
Pastor ouis profugæ, me miserare Deus.
Non me tæter odor, non cellæ squalor opacæ
Offendit; tenuis victus humusq; iuuant.
Sic lasciua domanda caro est, sic culpa pianda,
Sic læsi bonitas concilianda Dei.
Tu saltem miseræ reminiscere Thaidis, hymnos
Atque preces superis fundere quando paras.
O vtinam dignêre semel me visere, verbis
Consolaturus me monitisq; pijs.
Hæc mihi res pergrata foret, curisq; leuaret,
Quæ nunc sollicitant pectora sæpe mea.
Id (spero) facies, mihi dum spirare licebit,
Nam restant vitæ tempora pauca meæ.
Hoc precibus concede meis; sic lætius huius
Expediar vinclis corporis, atque Vale.
Alexandriæ, Anno 314.

Argumentum decimætertiæ Epistolæ.

Se Solymas scribit pietatis amore profectam,
Et natum monitis instruit inde pijs.

ME-

MELANIA VRBANO.

EX Syria mitto tibi, dulcis nate, salutem,
Qui nostri generis spes es, & vna basis.
Nam superas hominum mihi sanguine proximus
Cuius in hac terra me pia cura mouet. (vnus,
Me lux vna viro orbauit, natisq; duobus,
Funera fœmineum cor tria ferre iubens.
Tunc igitur mihi lugendi iustissima causa,
Plangendiq; manu pectora nostra fuit.
Sed neque fœmineis indulsi fletibus orba,
Nec planxi rigida pectora nostra manu.
Omnia enim tenui filo pendere sciebam,
Quæ cristas homini tollere sæpe solent.
Non ignorabam mortales esse maritum
Et natos, quare sum moderata mihi.
Non pietate vaco, nec sunt præcordia nobis
Ferrea; cor circum non adamanta gero.
Maternos sensi affectus persæpe, virumq;
Dilexi, & colui qua pietate decet.
Infractis animis natorum fata tulêre
Complures, vanos quæ coluêre deos.
Quæ lingua & vita profiteri gaudeo Christum,
Par me lamentis abstinuisse fuit.
Nomina qui sacro lustrati fonte dederunt
Cælicolûm Regi, non periisse puto.
Quorum vita fuit præceptis consona Christi,
Non mors illorum flebilis esse queat.

Nunc, quæ me iuuêre prius, deteſtor & odi,
Deliciæ nunc ſunt aſpera vita meæ.
Atque vtinam flectăt hæc omnia Numinis iram,
Et mihi dent facilem propitiumq́ Deum.
De pietate Dei deſiſtam fidere nunquam,
Ezec. 18. *Cùm ſontis nunquam reſpuat ille preces.*
Labitur, hac cella dum claudor, tertius annus;
Interea lacrymis ora genasq́ rigor.
Et nullo non clamo die, Miſerere benigne
Paſtor ouis profugæ, me miſerare Deus.
Non me tæter odor, non cellæ ſqualor opacæ
Offendit; tenuis victus humusq́ iuuant.
Sic laſciua domanda caro eſt, ſic culpa pianda,
Sic læſi bonitas concilianda Dei.
Tu ſaltem miſeræ reminiſcere Thaidis, hymnos
Atque preces ſuperis fundere quando paras.
O vtinam dignêre ſemel me viſere, verbis
Conſolaturus me monitisq́ pijs.
Hæc mihi res pergrata foret, curisq́ leuaret,
Quæ nunc ſollicitant pectora ſæpe mea.
Id (ſpero) facies, mihi dum ſpirare licebit,
Nam reſtant vitæ tempora pauca meæ.
Hoc precibus concede meis; ſic lætiùs huius
Expediar vinclis corporis, atque Vale.
Alexandriæ, Anno 314.

Argumentum decimætertiæ Epiſtolæ.

Se Solymas ſcribit pietatis amore profectam,
Et natum monitis inſtruit inde pijs.

ME-

Non instans terrebat hyems, nec aquosus Orion,
Non timui vastum scandere naue fretum.
Freta Deo non extimui custode procellas,
Illisa scopulis quæ rate fata parent.
Vsque adeo sanctam cupiebam visere terram,
Quæ Regem regum cernere digna fuit.
Quæ Christi meruit vagitum, & verba sacrata
Audire, & pedibus sanctificata premi.
Haud paucos pietate graues inuisere iuuit,
Vitatis turbis qui loca vasta colunt.
Multa ab eis didici nostræ præcepta salutis,
Donauiq; pijs munera multa viris.
Hos audire fuit mihi maxima sæpe voluptas;
Posthabui per eos omnia Christe tibi.
Nunc me sancta tenet Bethle gratissima tellus;
Hic vaco nunc hymnis, eloquijsq; sacris.
Hæc mihi facundo pandens Hieronymus ore,
Pascit delicijs me recreatq; pijs.
Plus Christi natale solum, quàm Roma trophæis
Diuitijsq; potens patria nostra, iuuat.
Hic lacrymis purgo vitæ delicta prioris,
Hic bene, quæ vixi non bene, disco mori.
Et quia spes nostri generis te pendet ab vno,
Pro te fundo preces supplice mente Deo;
Vt tibi det vitæ stadium percurrere sanctè,
Nil admittentem, quod tibi turpe foret.
Munere suscepto fac sic fungaris, vt vno
Ore fidem laudent fæmina virq; tuam.

Prætor es; oppressos defende viriliter, atque
Quantumuis inopes deseruisse caue.
Nunquam muneribus fac corrumpare nocentum,
A recto nunquam dimoueare pedem.
Diuitijs auxi te, quò sis largus egenis,
His quidquid dederis, crede dedisse Deo.
" *Esto tenax fidei, teneris quam doctus es annis,*
" *Eximat hanc animo sors tibi nulla tuo.*
" *Natales & opes animo metire probato;*
" *Illa nihil, desint si benefacta, iuuant.*
Plura monendus eras mihi, si contingat adesse
Te mihi, at ex paucis collige plura tibi.
Si, quod non temere de te confido, patrissas,
Christicola facies non nisi digna pio.
Vxori, quæ scribo, tuæ quoque scripta putabis,
Cum qua, cumq́ tuo pignore, nate Vale.
Ex Bethleem, Anno 370.

Argumentum decimæquartæ Epistolæ.
Respuit oblatas tedas, votiq́ tenacem,
Despectis opibus, se fore semper ait.

EVPHRASIA THEODOSIO.

QVod poterat prohibere pudor, ter maxime Cæsar,
Scribere me iussit littera missa mihi.
Qua suades, posito luctu, vitaq́ relicta,
Cui me deuoui, fædus inire tori.
Cæsaris inuicti mens circumspecta, puella
Plus sapit, ingenij quæ valet arte parum.

Nec

Nec dubito, quin consilium de pectore fido
Prompseris, & cupias consuluisse mihi.
Non tamen id duco, quod suades, esse sequendum,
Nam mihi quod plus est utile, malo sequi.
Multa licent homini, quod diuus Apostolus inquit, 1. Cor.6.
At non expediunt, quæ sibi grata putat. 10.
Mota datis ad me sum, sed non flexa, tabellis,
Nam mentem à cœpto flectere nemo queat.
Nullum nosco procum, dilectum præter IESVM,
Huic quam promisi, non violabo fidem.
Natales iuuenis, formamq; extollis, opesq;,
Dicis & ornatum moribus atque fide.
Denique (ne repetam, quæ scribis, singula) censes
Regali dignum ducere stirpe satam.
Iudicium vulgi si spectes, maxima sunt hæc,
Sed nihil ad sponsum sunt modò dicta meum.
Non hoc nobilior quisquam, non ditior ullus, Psalm.23.
Possideat terræ iugera mille licet. 49.
Possideat fuluos lateres, quot Crœsus habebat,
Atque Phrygis teneat multa talenta Midæ.
Præ sponso tamen ille meo est & Codrus & Irus,
Nullus & est illi nobilitatis honos.
Huic nemo eximiæ contendat munere formæ, Psalm.18.
Quod gerit hic sceptrum, tollere nemo potest.
Quem mihi commendas sociandum iure iugali,
Non temno, sed nec temnere iure queam;
Attamen illius thalamum tædamq; recuso,
Huc mentem poterit flectere nemo meam.

Isa. 40. *Nam qui nunc æui floret vernantibus annis,*
1. Pet. 1. *Illico marcèscet, flos vt Acidalius.*
Mens generosa proco mortali nubere non vult,
1. Cor. 7. *Sponsum immortalem mens generosa cupit.*
Nec me delectat spurca & fugitiua voluptas,
Non nisi casta iuuat, quæ sine fine manet.
Quæ vulgus ceu magna putat captatq́ue, perosa
Despicio, quàm sint perniciosa, sciens.
Dos idcirco, mihi quam relliquêre parentes,
Est cessura Deo, pauperibusq́ue pijs.
Thren. 3. *Dos mihi Christus erit, quē nacta ero abūdè beata,*
Psal. 15. *Extra quem bona me nulla beare queunt.*
Proinde precor supplex te, Cæsar, amore parentum,
Quos tibi dilectos vsque fuisse scio;
Vt bona, quæ Pharia mihi sunt tellure relicta,
Pauperibus dones, Christicolisq́ue pijs.
Hisq́ue sacrata Deo reparentur templa vetusta,
Et noua ditentur templa, struenda Deo.
Prædia cuncta pios volo conuertantur in vsus,
Susceptum ad Christum ne remorentur iter.
Matth. 8. *In terris inopem voluit si degere vitam*
Vera Dei soboles, quem penes omne bonum;
Me quoque discipulam par est bona nulla tenere,
Deliciasq́ue meas ducere, ferre mala.
Quæ bona mortalis non poscit corporis vsus,
Cedant pauperibus seruitioq́ue Dei.
Matt. 20. *Et quia non seruis est vsus sponsus IESVS,*
Philip. 2. *Obsequium nullum seruitiúmve volo.*

Man-

Mancipijs igitur libertas detur ad vnum
Omnibus, & dentur præmia cuique sua.
Debita præterea donentur cuncta colonis,
Nulla procurator postulet inde sibi.
Omnibus his curis per te leuer, optime Cæsar,
Vt seruire Deo postmodò læta queam.
Nam vitam finire meam mens sedibus istis
Stat mihi fixa, Deo subueniente mihi.
Vt studijs his aspiret pia Numinis aura,
Promouear precibus coniugis atque tuis.
Scilicet vt Christo, quem clausi corde sub imo,
Purgata vitijs mente placere queam.
Hæc facies, spero, Antigoni genitoris amore,
In vita charus qui solet esse tibi.
Sic, si quid precibus valeo præstare, vicißim
Commendabo Deo téque tuósque libens.
Te Deus Augustámque tuam det viuere longùm,
Prolatis regni finibus, atque Vale.
Alexandriæ. Anno 380.

Argumentum decimæquintæ Epistolæ.

Natum abijsse suum clam se natalibus oris,
Imbutumq; fide non meliore dolet.

MONICA AVGVSTINO.

Miraris Libyca missas tellure tabellas,
Perfusas lacrymis, nate, fuisse meis?
Has mihi discessu nunquam non excutis, atque
Quo sum capta, nimis credula facta, dolo.

Non, cùm temperiem Veris persensit aprici,
Tot lacrymis vitis saucia falce madet:
Quot lacrymis sine fine genas perfundor obortis,
Dum desiderijs vror agorq́; tui.
Esse quidem decuit te solamenq́; decusq́;,
Orbatæ matri nunc genitore tuo.
Nam longis studijs culmen prouectus ad altum,
Tutari viduas innocuosq́; doces.
Qua nunc fronte igitur me deseris, atque recedis
Clam me, nauigijs Itala regna petens?
Te comitabar arenosas ad littoris oras;
Amborum lacrymis commaduêre genæ.
Certa sequi fueram, ferret quocunque carina,
Vndosi metuens nulla pericla freti.
Id cùm non sineres, te vi retinere parabam,
Te contra si quid marcida possit anus.
Denique nil non tentabam, rata supplice voce,
Aut lacrymis natum flectere posse meum.
Sed nil profeci lacrymis, prece, viribus vsa;
Consilij ratio tam tibi firma fuit.
Causabare fidem seruandam semper amico,
Stareq́; promissis quemque decere suis.
Non prius ergo reuersurum te ad tecta paterna,
Illum quàm facilis separet aura tibi.
Cum sine te reditum mihi persuadere nequires,
Et lacrymas matris non paterêre tuæ;
Haud procul à naui me pernoctare iubebas,
Quo tua fama frequens est Cypriane loco.

Insom-

Insomnem duxi noctem illam fletibus, atque
Sum vigili gemitu multa precata Deum:
Vt cursum nullo vento spirante retardet,
Et nato nunquam non fruar ipsa meo.
Postera lux orbi cùm vix exorta fuisset,
Ad nauim propero, teq́; tuósque vocans.
Sed mihi respondit nemo sine fine vocanti;
Rettulit vna Echo verba minuta mihi.
Tunc igitur crebris planxi mea pectora palmis,
Et iuuit madidas vngue secare genas.
Tunc dolor inuasit pauidæ præcordia matris,
Coniugis ob mortem quantus obortus erat.
Tunc fuit in votis abrumpi stamina vitæ,
Quæq́; fuit dulcis lux mihi, tristis erat.
Téne procul patria clam matre recedere mæsta?
Et fuco matrem ludere posse tuam?
Tale nefas cadat in natum, qui scipio matri
Grandæuæ & viduæ debuit esse suæ?
Cur ego non potui nato comes ire per omne,
Quò fortuna ferat te comitesq́;, mare?
Non mihi terrori nimbiq́; Notiq́; fuissent,
Non rabies ponti sæua pericla minans.
Tecum seruanda, aut tecum peritura fuissem,
Tecum etiam mortem ferre parata fui.
Huc igitur cursum ventis reflecte secundis,
Aut istuc celeri per freta naue ferar.
Te mihi tam longè semoto, vita molesta est,
Et tam lenta queror fata venire mihi.

Nec minùs interea me torquet & altera cura,
Per quam consistit pectore nulla quies.
Mecum namque fidem dum nō profitebere puram,
Qua sine spes nulli certa salutis erit;
Non fletus gemitusq́; modum mihi ponere quibo,
Vt quæ sim genitrix dimidiata tui.
Nam desit tibi pura fides, quæ ducit ad astra,
Qua sine non videor te genuisse mihi.
Hæc igitur pectus distringet pallida cura,
Donec te nondum tinxerit vnda sacra.
Non tamen in cassum fundi confido precesq́;,
Et crebras lacrymas nomine nate tuo.
Si pia sunt mea vota, Tonantem, spero, mouebunt,
Qui te respiciens ad meliora trahet.
Nempe vt Christigenûm iures in dogmata sancta,
Errorem fugitans, qui tibi mente sedet.
Et si te pietas in matrem commouet vlla,
Vrgebis reditum, matris amore tuæ;
Vt flendi finem faciam, atque in gaudia luctus
Vertatur, dum te sospite læta fruar.
Si verò reditum nimiùm protraxeris, istuc,
Naufraga non metuens æquora, naue ferar.
Huc celerem contende gradum, si diligis illam,
Quæ te plus oculis diligit, atque Vale.
Tagastæ, Anno 390.

Argumentum decimæsextæ Epistolæ.

Plus tribus absentem lustris desiderat, atque
Ad patris exoptat tecta redire virum.

SABI-

SABINA ALEXIO.

HAnc tua Romulidûm coniux, tibi mittit ab vrbe,
Oblitus nostri quòd videare, querens.
Nil peto rescribas, nil littera missa iuuaret,
Coniugis aduentu nil magis opto mei.
Nam quartum lustrum iamdudum labitur, ex quo
A nobis, patrijs finibus exul, abes.
Occiduas Phœbus tendit mihi lentus ad vndas,
Et lentus profert æquore mane iubar.
Tot curis crucior, tot fletibus ora rigantur,
Tot lustris mihi mens irrequieta fuit.
Multa tibi metuo terraq́; mariq́; pericla,
Nocte tibi metuit mens mea, luce tibi.
Lentus abes, nec quæ cessantem causa moretur,
Scire datur, num quæ sors miseranda premat.
Si qua cura mei restat tibi, certior à te
Debueram fieri significante scheda.
Si foret id factum, ferrem sine pectoris æstu,
Tot lustris sponsum me procul esse meum.
Perpetuo resonant patrij plangore penates,
Te propter lacrymas angulus omnis habet.
Tu tamen oblitus nostri nec scribere curas,
Nec certos, vbi sis, quî valeásve, facis.
A Superis non concessæ sibi nomine prolis,
Indoluit longùm mæstus vterque parens.
Quare pauperibus Numen studuêre fouendis
Flectere, ne soboles non sibi chara foret.

Nec

Nec vanum fuit illorum studiumq́, precesq́,
Pulsus enim dolor est pectore, prole data.
Nam quamuis clarum famulorū maxima turba,
Atque magistratus fecerat esse patrem;
Attamen infœlix est hoc sibi nomine visus,
Quòd soboles hæres non foret vlla sibi.
Sed veterem luctum prognatus Alexius omnem
Sustulit, & secum gaudia summa tulit.
Hæc didici referente socru, qua non tulit ætas
Vlla magis iustam, vel pietate parem.
A teneris idéoque annis te moribus, atque
Instituí studijs cura parentis erat.
At cùm prima genas tegeret lanugo, parentis
Consilio vestri sum tibi nupta viro.
Fortunata quidem, tali dignata marito,
Visa fui, Regum sim sata stirpe licet
Non, quia diues opū es, clarisq́ parentibus ortus,
Cur mihi gratarer, maxima causa fuit.
Magna sed amborum pietas celebrata parētum,
Et nati; quanquam sum tibi nupta malè.
Nam versa in luctū sunt gaudia nostra perennem,
Imò vix vna luce beata fui.
Non queror illæsum per te mansisse pudorem,
Quem tibi seruari glorior, atque Deo.
Sed doleo te clam nobis abijsse, priùs quàm
Ortus erat Titan, cùm tibi nupta forem.
Non mihi dixisti, quare discesseris, aut quò,
Vxori quæ te non tacuisse decet.

Annu-

Annulus est fidei signum mihi traditus abs te,
Quem tibi seruarem, coniugijq́ fidem.
Vixq́ vale dicto priuum conclaue petisti;
Ex illo nulli tempore visus abes.
Postridie cùm Sol radijs inuiseret orbem,
Exoritur luctus maxima causa noui.
Non apparet enim quæsitus Alexius vsquam;
Quò te contuleris, conscius omnis abest.
Qui color est folijs autumni frigore læsis,
Idem nostra graui tinxerat ora metu.
Fletibus indulget genitrix, canosq́ capillos
Vellicat, & palmis pectora mœsta ferit.
Me socrui sociam geminandis planctibus addo,
Nam viduata viro sum mihi visa meo.
Sic orbata dolet dilecto compare turtur,
Et querulo gemitu tempora mœsta terit.
Anxius haud minus est genitor tuus, omnia nato,
Absenti eueniunt quæ mala cunque, timens.
Sunt ab eo missi vastæ per climata terræ,
Qui de te quærant, restituantq́ tuis.
Sed qui te inueniat, nemo redit, atque reducat;
Qua lateas terra, nemo scit, atque mari
Septenis cinctam quisquis venit hospes ad vrbem
Collibus, à nobis multa rogatus abit.
Et tibi quam reddat, si fortè inuenerit vsquam,
Antè meis digitis littera scripta datur.
Heu quoties à me missa est tibi littera frustra,
Illarum cùm sit reddita nulla tibi.

Reddita

Reddita si foret, haud nequeas rescribere nobis,
Quæ te detineat tam diuturna mora.
Infanti nec enim tibi præbuit vbera tigris,
Nec ferri circum pectora semen habes.
Non ita Penelopen absentia torsit Vlyssis,
Quamuis absuerit bis duo lustra domo.
Nam sua Telemacho pascebat lumina viso,
Et poterat curas sic releuare suas.
Si qua fuit tot Penelope viduata per annos,
Plorandæ sortis me minus illa fuit.
Nam quasi per speculum potui te cernere tātum,
Nescia, coniugij quid sibi iura velint.
Si quis adhuc te tangit amor pietasq́; tuorum,
Ad nos fac redeas ocyus, atque Vale.
Romæ, Anno 391.

Argumentum decimæseptimæ Epistolæ.

Se procul esse viro queritur doctoq́; pioq́;,
Et vitæ quinam tempora ducat, ait.

MARCELLA HIERONYMO.

QVam legis Ausonijs adfertur littera ab oris,
Qua tecum libuit, vir venerande, loqui.
Dulce magis nobis alternas promere voces,
Atque audire foret, si loca sancta sinant.
Quæ mihi te dirimūt tot millibus, vt mihi iam sit
Te compellandi copia nulla super.
In causa fuit (vt nosti) gens barbara grassans,
Quæ turbat Syriam, fanda nefanda patrans.

Quod

Quod licet ergo, libet te compellare tabellis,
Vt poßis studij certior esse mei.
Nam tibi nō fuit ad famulam graue scribere sæpe,
Vt quod soletur me, doceatq́; foret.
Sæpe queror tanto fraudari interprete sacri
Eloquij, quo nil dulcius esse queat.
Nil tam dulce fauis æstiuo tempore condunt, Psal. 118.
Hyblæos flores dum populantur, apes.
Hoc me delectat, nutrit, vegetatq́; regitq́;,
Plus cunctis opibus me iuuat atque beat.
Hoc mihi iamdudum fecit sordescere, quidquid Philip. 3.
Attonitum vulgus quæritat atque stupet:
Stemmata, seruorum turbas, & prædia lata,
Illustres titulos, magnificasq́; domos.
Hoc post fata viri tædas fugitare iugales,
Meq́; Deo tota mente dicare iubet.
Non clari flexêre proci, non florida forma,
Non genitrix, generum quæ cupit esse sibi.
Hoc inopi turbæ gazas impendere fecit,
Et quæ non pereant, quærere iußit opes.
Hac humilem ratione iuuat me ducere vitam, Matth. 6.
Ne nulla valeam parte placere Deo.
Nō me pristina pompa iuuat, strepitúsve superbi;
Plus me sermo, Dei qui venit ore, iuuat.
Hunc dum perpendo, dumq́; imis condo medullis,
Protinus insueto pectoris igne flagro.
Cum Paulo reputo ceu stercora, quæ bona vulgus
Miratur; quàm sint omnia fluxa, sciens. Philip. 3.

Men-

Mente feror cupida celsi in penetralia cæli,
Exoptans Christo semper adesse meo.
Psal. 41. *Vt rapido cursu gelidas contendit ad vndas*
Cerua, fatigauit quam cita turba canum;
Sic requiem capto vanis exercita curis;
Et fugito, quæ sunt pernitiosa mihi.
Albinæ matris nunc, Principiæq; fidelis
Vtor amicitia, colloquijsq; fruor.
Vt par est, illam vereor, venerorq; coloq;,
Hanc fidei causa diligo, multa monens.
Hæc me ceu matrem colit, obseruatq; timetq;,
Me sine non vsquam fertq; refertq; pedem.
Vrbano strepitu vitato, ruris amati
Me tenet alma quies, Principiamq; meam.
Hic tenui victu lasciuam macero carnem,
Scripturis sacris hic precibusq; vaco,
Hanc præferre casam sublimibus ædibus ausim,
Quas similes templis Martia Roma struit.
Te casa delectat, quæ natum cernere Christum
Lucæ 2. *Digna fuit, Superûm condecorata choris.*
Istic diuino cultu vigilanter inhæres,
Euoluisq; sacros mente sagace libros.
Te ter fœlicem dico studijsq; locoq;,
Sed doleo, quòd sit copia dempta tui.
Hunc tamen extenuāt, quæ mittis scripta dolorē,
Et releuant, quidquid cor cruciare solet.
Debeo namque tibi, quòd sint oracula sancta
(Si tamen illorum quid scio) nota mihi.

Cùm

Cùm tua ſcripta lego, videor mihi cernere coram,
Atque audire virum, quem mea vota vocant.
Tanta ſubeſt illis fœcundi gratia verbi,
Tot ſtimulis tacitè pectora noſtra vibrant. Eccle.12.
Sunt animi ſpeculum deprōpta ex pectore verba, "
Agnoſci melius non aliunde poteſt. "
His igitur paſco mentem perſæpe legendis,
Hæc deſiderij ſunt medicina mei.
Quam vitam amplector, ſectari gaudeo multas,
Spectatas opibus, ſtemmatibusq; graues.
Quodq; priùs fuit inuiſum, nunc plauſibile eſſe,
Atque iugo Chriſti dulcius eſſe nihil. Matth.11.
Sed placidam vitã, quam viximus hactenus, orta
Perturbat Romæ ſecta, pericla minans.
Huic niſi fortiter obſtetur, mixtura profanis
Eſt ſacra, nec ſtabit relligionis honos.
Et quamuis fidei normam pars magna profeſſa
Deficiat, Chriſto transfuga facta duci;
Obnitor tamen, & vitæ diſcrimina ſperno,
Hinc licet inſidijs impetar, inde minis.
Sæpe graues imo gemitus do pectore, cernens
Has ſcelerum formas, & rigor imbre genas.
Nam ſacra, quæ coluêre prius, peſſundata rident
Atroces hoſtes, gens maleſana nimis.
Impia nil curo mordacis ſibila vulgi;
Obſiſtam forti pectore, freta Deo.
Ille pios noſtros conatus (ſpero) iuuabit,
Et radijs pellet nubila oborta ſuis.

Ille tuis semper studijs aspiret honestis,
Vtq; in ijs perstes tempora longa, Vale.
Romæ, Anno 400.

Eccle. 12.

Argumentum decimæoctauæ Epistolæ.

" *Quæ fuerit Bethlen linquendi causa, modumq;*
" *Vitæ emendandæ littera missa docet.*

FABIOLA HIERONYMO.

Mittitur ex clara, quæ redditur, vrbe Quirini
Littera, spectata vir pietate grauis.
Quæ te meq; diremerunt exorta pericla,
Dandi ad te tabulas causa fuêre mihi.
Matth. 12. *Nam cùm te fruerer scripturæ interprete sacræ,*
Et mihi dux esses ad pietatis opus;
Non reminiscebar prælustris mœnia Romæ,
Chara fuit Bethle, ceu genitale solum.
Istic perpetuas libuisset figere sedes,
Et seriem vitæ continuare meæ.
Sed metus Hunnorum miscentum sacra profanis,
Inuitam iussit linquere sancta loca.
In patrioq; solo restantem degere vitam,
Et quidquid vitæ est, omne dicare Deo.
Relligio quondam iussit me linquere Romam,
Visereq; hortata est teq; sacramq; casam.
Et lustrare solum Christo peragrante, sacratum
Miraclis, monitis, atque cruore sacro.
Scilicet vt te proficerem monitore, pijsq;
Excita doctrinis plus pietate flagrem.

Quod

Quod fuit in votis, adipisci contigit istic,
Et mihi concessum est teq; casaq; frui.
Quantum lætitiæ persensi pectore toto,
Cum loca lustrarem sanctificata Deo!
Quanta, virũ cernens venerandũ nomine sancto,
Gaudia percepi, pectore clausa meo!
Optabam hæc nobis contingere gaudia posse,
Dum mihi spirandi tempora fata darent.
Sed metuens, ne vim faceret mihi barbarus hostis,
Ad patrios rediij, sorte iubente, lares.
Hic me seruitio diuino mancipo totam,
Nitor & in nullo displicuisse Deo.
Hic nunc, delicijs quod multis ante vacauit,
Affligo corpus, subijcioq; iugo; 1. Cor. 9.
Spiritui ne quando caro lasciua repugnet,
Quamq; subesse decet, ne dominetur ei.
Nec curæ est aliud, quàm posse placere Tonanti,
Quem læsi toties impietate mea.
Quæ sit magna licet, non desperabo salutem,
Nam Christi pietas anteït omne scelus.
Inspecto sueui speculo componere vultum,
Corporis ut formæ gratia magna foret.
Nunc instar speculi mihi sunt oracula sancta, Iacob. 1.
Hæc animi maculas tollere sola docent.
Hæc cùm perspicio, mores componere disco,
Exculta Christo mente placere studens.
Nam præter Christum nulli placuisse laboro,
Huic ego si placeam, res mea salua foret.

Nunc igitur, quidquid labis florentibus annis
Contraxi, curæ est emaculare mihi.
Nam dum luce fruar, tædas iterasse iugales,
Conscia mens nunquam desinet esse dolens.
Heu nupsisse viro præter fas atque decorum,
Exprobrant testes hinc dolor inde pudor.
Quocirca posui fastus monimenta nefandi,
Omnia detestans, quæ placuêre priùs.
Non igitur puduit vilem mihi sumere saccum,
In temploq; fui pulverulenta comas.
Idq; die Paschæ, populo spectante frequenti,
Suppliciter veniam criminis ore precans.
Qua mihi concessa, serviles ferre labores
Non piguit, Christo me reparare studens.
Non illustre genus Fabiorum, aut stemmata clara
A cœpto, nec me vis revocavit opum.
Quidquid opum fuerat, largè dare iuvit egenis,
Vt sartæ redeant, quæ periêre prius.
Sæpe genas pugni defœdavêre venustas,
Quæ delinquendi causa fuêre mihi.
Cerusam, stibium, fucos, pigmenta perosa
Peste magis, soli quæro placere Deo.
Sæpe scelus duxi molli requiescere lecto,
Quo scelus admissum (prò pudor) antè fuit.
Psalm. 6. *Nec raro lacrymis stratum, quo mœsta cubabam,*
Immaduit, membris dum sopor omnis abest.
Matt. 25. *Fit Christi membris, quidquid præstatur egenis,*
Christi igitur iuvit membra fovere piè.
Putida

Putida non piguit mulcere lauareq; membra,
Fomentisq; pijs omne leuare malum.
Quos blandis medicaminibus lenire iuuabat,
Dixisses similes esse cadaueribus.
Vulnere quæ fueram letali saucia mentem,
Vt sic sanarer, nil graue ferre fuit.
Exiguum est, quidquid facimus, si præmia spectes, Rom. 8.
Quæ scimus cunctis esse reposta pijs. »
Si quas delicias mœstæ contingit oriri,
Illas suppeditat lectio sacra mihi.
Obrepit satias Psalmos mihi nulla legendi,
Estq; Euangelij lectio, dulce mihi.
His ego delicijs epulas componere nolim, Psal. 118.
Quas vel Achæmenius vel Sibarita parat.
Hunc vt continuem cursum, palmaq; potiri
Vt valeam, precibus subleuer oro tuis.
Atque tuis scriptis me consolare frequenter,
Fortius vt tolerem quidlibet, atque Vale.
Romæ, Anno 400.

Argumentum decimænonæ Epistolæ.

Expetit, vt coniux Christo det nomen IESV,
Promißis stantem nulla manere mala.

CLOTILDIS CLODOVEO.

QVa tibi nunc opus est, bellanti mitto salutem,
Gallorum clara Rex ditione potens.
Namque a Germanis instant tibi certa pericla,
Ni ferat auxilium Christus ab axe tibi.

Nam potis est is solus opem tibi rebus in arctis
Ferre, modo implores, non dubitante fide.
Non dij fallaces vanissima numina, quorum
Te nimis infatuat vana superstitio.
Te crebris precibus studui reuocare, deorum
A cultu ad Christum, Christigenûmq; fidem.
Scilicet vt stares promissis, néve salutem
Negligeres animæ, quam parit alma fides.
Sed nullis potui precibus te flectere, vt istam
Exueres mentem, reijceresq; deos,
Qui mentes hominum ludunt ambagibus, illas
Dum captant technis, exitiumq; struunt.
Cùm mihi fraterno perijsset Marte peremptus
Cum patruo genitor, plena doloris eram.
Cumq; graui saxo genitrix ad colla ligato
A Leuiro in Rhodanum præcipitata foret;
Impietas patrui pupillæ iusta dolendi,
Et mea plangendi pectora causa fuit.
Tunc animi dubiam Fortuna volubilis esse
Fecerat, humanas res variare docens.
Maluerat Superis germana dicare pudorem,
Coniugij casus quàm tolerare graues.
Forma genusq; meum deductum sanguine Regum
Connubio dignam me statuêre tibi.
Non tamen hac in parte tibi assensura fuissem,
Fugissemq; torum, Rex generose, tuum;
Si iuraturum te non in dogmata Christi
Dixisses, tinctum fonte salutifero.

Vt ta-

Vt taceam, quòd tunc patruus Burgũdionum Rex
Seruabat studio me vigilante pius.
Is minimè passurus erat me nubere Regi,
Qui non sectetur dogmata Christe tua.
Non equidem reor, esse tibi sine mente Tonantis
Me iunctam thalami iure toriq́; fide.
Id quod res (vt spero) breui testabitur ipsa,
Cùm fuero votis facta beata meis.
In te visa quidem pietatis signa fuêre,
Christicolam: quæ te sat docuêre fore.
Nam calicem templo sublatum à milite Rhemis,
Restitui pietas iusserat antè tua.
Atque ideo pœnas dedit is, qui cedere Regis
Edictis tardus difficilisq́; fuit.
Nam resupinus humi stratus, cæsusq́; securi
Post annum Stygias ire iubetur aquas.
Gallia præterea maiore ex parte capessit,
Dijs missis, Christi dogma fidemq́; piam.
His causis alitur nobis fiducia de te;
Spes vtinam nobis non labefacta cadat.
Nunc equidem doleo te neglexisse salutem,
Quam solo in Christo credimus esse sitam.
Coniugis ô vtinam voluisses credere verbis,
Et profitereris dogma salutiferum.
Plus secura forem, quamuis hostilia castra
Forsitan intentent sæua pericla tibi.
Nam quamuis validi iungunt tibi castra Sicābri,
Suntq́; Alemanorum castra minora tuis;

Q 4 Haud

Haud nescis tamen ancipitis ludibria Martis,
Belli certè anceps exitus esse solet.
" *Non equitatus enim, valido nec robore miles,*
" Psal. 32. *Absque Dei nutu, certa trophæa refert.*
Prou. 21. *Aduersata mihi quondam fuit alea Martis,*
1. Mac. 3. *Cùm manus orbaret me scelerata patre.*
At si nunc orbet charo me coniuge Mauors,
Mors foret in votis accelerata mihi.
Crede mihi, quamuis te magna pericula cingunt,
Christo fide, malis eripière statim.
Quid Cōstātinum memorē, pluresq́; Monarchas?
Qui Christo freti præualuêre suis.
In bello fuerant perituri hostilibus armis,
Si non Christus eis ipse tulisset opem.
Nulla trophæa manent te dijs aut milite fretum;
" *Si Christo fidas, suppeditabit opem.*
" *Omnis ab æterno victoria Numine pendet,*
" *Omnis in hoc spes est præsidiumq́; pijs.*
Fœlix illa dies, qua Christo nomen IESV
Gallia te dantem cernet, & vxor ego.
Qua te Remigius lustrabit fonte sacrato,
Quamq́; eris indutus, candida vestis erit.
Tunc fore non dubitem, quin Gallia tota sequatur
Principis exemplum, reÿciatq́; deos.
Mente hoc non vana confido aliquando futurum,
Hoc vnum tota flagito mente Deum.
Ergo pium votum, quo te scis esse ligatum,
Vt soluas, Christo sit tibi nixa fides.

Vt nobis illo ductore trophæa reportes,
Atque illi grates Gallia tota canat.
Ille tuum sit confugium, spes, ancora, portus,
Ille tibi solus sit Deus, atque Vale.
Lutetiæ, Anno 499.

Argumentum XX. Epistolæ.

Casibus aduersis gaudet iactata Tonantis
Seruitio, cui se mancipat atque suas.

RADEGVNDIS CLOTARIO.

QVam tua corde pio Radegūdis mitto salutem,
Acceptam refero, Rex generose, tibi.
Affari Superos hic est mihi summa voluptas,
Et mixtas lacrymis fundere sæpe preces.
Nulla tui tamen obrepent obliuia nobis,
Antè suum repetent flumina versa caput.
Atque ideo tabulis affari aliquando maritum,
Me cogunt pietas & benefacta tua.
Quamuis namque fui claris natalibus orta,
Attamen impubi sors inimica fuit.
Namque Hermenfredus stimulis furialibus actus
(Prò dolor) orbauit me genitore meo.
Impulit huc illum regnandi cæca libido,
Omnia confundens fasq; nefasq; simul.
Romulus vt Remum regni interfecit amore,
Sic fratrem incautum sustulit ille suum.
Vt verò in totum Turingia cederet illi,
Cæde cruentauit se Baderice tua.

Impietas hæc tanta diu non mansit inulta,
Nam lapsu perijt perfidus ille graui.
Dum defendis enim, quæ fratri iniuria facta est,
Quas meruit pœnas impius ille, dedit.
Fratribus ablatum amittit cum lumine regnum,
Gallo quod placuit, diripiente sibi.
Hinc factum est, vt præda foret mea patria Gallo,
Stemmatis vt causa Regia præda forem.
Indolis & formæ egregiæ te gratia cepit,
Hæc duo fecerunt me placuisse tibi.
Et quia erat nondum mea captæ nubilis ætas,
Former vt ingenuè, cura tibi vna fuit.
Cumq́ue forem matura viro, tibi iungere dextra
Me dignabaris, coniugijq́ue fide.
Hoc decus optaui nunquam, hoc ego semper honore
Indignam prorsus sum rata, iamq́ue reor.
Nam mihi virginitas & vita pudica placebat,
Hancq́ue dicare Deo mens mihi firma fuit.
Fœdera connubij thalamumq́ue exosa iugalem,
Me studui tota mente dicare Deo.
Ergo meum studium quia non pietate vacabat,
Passus es illæsa virginitate frui.
Insuper & luxum, tumidiq́ue insignia fastus
Mens detestata est, & graue ferre fuit.
Frugalis placuit victus magis; hic mihi curæ,
Dum fruar æthereo lumine, semper erit.
Quod perit in luxu, miseris impendere iuuit,
Atque inopum frigus veste leuare data.

Paupe-

Pauperię preßis pietas succurrere suasit,
Quisquis amat Christū, mēbra quoq; eius amat. „
Larga namque manu quidquid donatur egenis, „
In se collatum iudicat esse Deus. Matt. 25.
Non offendebat scabies, non hulcera tætra, Prou. 19.
Imò hæc vnguentis dulce fouere fuit.
Hac motus pietate, meo me viuere more
Passus es, & cultum continuare Dei.
Permissu diuulsa tuo sum denique, & isto
Abdita cœnobio seruio læta Deo.
Hic mihi cum nymphis videor regnare pudicis,
Dum carnem premimus, subijcimusq́; Deo.
Dumq́; humiles summo pia vota precesq́; Tonanti
Fundimus, vt vita det sine labe frui.
Hic lacrymis vitæ anteactæ delicta piamus,
Hic mens esse cupit libera mole graui;
Atque sui sponsi fœlicia scandere tecta,
Et Superûm Regi carmina digna dare.
Non ego delicias mutem vel Perside gaza,
Quas mens in tacito pectore sæpe capit.
Sic prodest fortuna mihi, cùm damna pararet,
Sic victrice manu profuit antè capi.
Hæc ego dum mecum perpendo lancibus æquis,
Te dignas grates posse referre velim.
Quod potero, precibus te commendabo Tonanti,
Spiritus in vita dum mea membra reget.
Floreat vt regnum fœlicibus auctibus, vtq́;
Ferueat in Christum cum pietate fides.

Regnum

Regnum equidem, cuius nunc es possessor & hæres,
Præ quouis clarum postmodò spero fore.
Quippe fidem Christi toto tutabitur orbe,
Marte domans, illi qui male cunque volent.
Hoc faxit Superûm Rex; ille aspiret in horas
Amborum sanctis nisibus, atque Vale.
Pictauis, Anno 525.

Argumentum XXI. Epistolæ.

Austeræ seriem vitæ memoratq́, rogatq́,
Mundus vt exemplo corrigat acta suo.

MARIA Ægyptiaca MVNDO.

Mittitur ex vasta tibi reddita littera eremo,
Munde, mihi quondā plus adamate satis.
Splen quatitur fortasse tibi, sed parce cachinno,
Et sint, quæ scribo, pectore fixa tuo.
Quippe tui cæco quæ seducebar amore,
Tartareas pœnas digna subire fui.
Nam Veneris sensi stimulos impubibus annis,
Victa quibus cessi, crimen in omne ruens.
Vna oblectabat corpus mentemq́; Voluptas,
Vna fuit studio per tria lustra mihi.
Nullos non iuuenes allexi auidissima stupri,
Namque verecundus fugerat ore pudor.
Non auri, sed nec pretij capiebar amore,
Non nisi me Cypridis sollicitabat amor.
Curando genio sectabar gaudia carnis,
Me satians epulis, atque fragrante mero.

Me delectabant risusq́ iociq́ proterui;
Cætera me prohibet commemorare pudor.
Quæ tibi deliciæ sunt gratæ, quæq́ morantur
Te pompæ, mentem detinuêre meam.
Ex omniq́ tibi quærebam parte placere,
Fucata facie, turpiloquisq́ iocis.
His studijs triui florentis tempora vitæ,
Mancipium Veneris, mancipiumq́ gulæ.
Cùm verò ad portum Pharios Libyasq́ viderem,
Feruentes studijs, accelerare gradum;
Percontans didici Solymam properare frequentes,
Christiferæ vt visant alma trophæa crucis.
His ego me, quamuis nulla pietate mouebar,
Adiungens, scandi sarcina fœda ratem.
Quandoquidem verbis lasciuis atque pudendis,
Nequitiæ multis semina multa dedi.
Et quos relligio patrijs excedere muris
Iusserat, his studium sum remorata pium.
Hos cùm spectarem Solymis ad limina templi
Tendere mane, pios sum comitata viros.
Concursum populi mirans pietate flagrantis,
Cum reliquis volui sancta subire loca.
Inde sed arcebant me vitæ crimina multa,
Sæpe quibus mens est sordida facta mihi.
Cùm nihil efficerem summo conata labore,
Progressum, dixi, Numinis ira negat.
Indolui, gemitumq́ imo de pectore duxi,
Et grauis inuasit singula membra tremor.

Et quia mens fuerat vitijs polluta nefandis,
Perfusam lacrymis angulus ater habet.
Tandem Christiparæ mihi cernebatur imago
Virginis; hac visa spes aliquanta venit.
Quam supplex compellabam, lacrymisq́ue profusis
Et flexis genibus prona precabar eam.
Alma Dei genitrix virgo castissima salue,
AEtherei salue gloria magna chori.
Indignam fateor, quæ tollam lumina, teq́ue
Aspiciam, cùm sis virginitatis honos.
Ast ego sum corpus spurcis fœdissima stupris,
Meq́ue (scio) fætet nulla cloaca magis.
Improbitas, terræ me fecit inutile pondus;
Pondere non premitur me grauiore solum.
Conscia mens scelerum de sese hæc cuncta fatetur,
Meq́ue poli dignam clamitat igne peti.
Sed quoniam humani generis dignatus amore
Est nasci Christus, te genitrice satus,
Vt sontum delicta sua in cruce morte piaret,
Spes veniæ per te Virgo benigna redit.
Flecte tuis precibus Natum facilemq́ue piumq́ue,
Accessum miseræ præbeat ille mihi.
Viuificum lignum liceat mihi cernere coràm,
Non frauder voto, si putat esse pium.
Præterea pro me sponde Regina polorum,
Me castam vitæ tempus in omne fore.
Nam reliquum vitæ spacium omne dicabo Tonãti,
Expurgans maculas fletibus atque fame.

Haud cassas (mihi crede) preces è pectore fudi,
Nam vires membris mox rediêre meis.
Mirabunda loco me moui, & pergere cœpi,
Et me cum reliquis in loca sancta tuli.
Quò cùm venissem, supplex in genua cadebam,
Pronaq; vitalem sum venerata Crucem.
Tunc mihi gratabar, quòd non fuerim inde repulsa,
Tunc sum visa mihi fasce leuata graui.
Hymno Christiparæ dicto, rogo supplice voce,
Vt deinceps gressus dirigat illa meos.
Atque locum monstret, qui vitæ commodius esset
Purgandis vitijs, seruitioq; Dei.
Extemplo suppressa meas vox venit ad aures;
Vltra Iordanem stat tibi tuta quies.
Panibus assumptis tribus, huic obtempero voci,
Iordanemq; petens prendo salutis iter.
Flumine transmisso rectà loca ad auia pergo,
Quæ triuit quadrupes nulla, nec vllus homo.
Quos tunc contuleram panes alimenta futuros,
Hîc suffecerunt per duo lustra mihi.
Plus lautis dapibus stomachum iuuêre latrantem,
Plus vino fauces lenijt haustus aquæ.
In causa fuerant violenta famesq; sitisq;,
His lasciua caro quippe domanda fuit.
Sæpe quidem mens lautitias optauit easdem,
Quas consectari sueuerat ante fugam.
Sæpe quoque in molli libuit requiescere lecto,
Cùm sopor vrgeret, concubituq; frui.

Et me

Et me tam duram pertæſum eſt ducere vitam,
Quam quis non hominis dicat, at eſſe feræ.
Mox igitur lacrymis maduerunt lumina noſtra,
Et rigida planxi pectora noſtra manu.
Namque recordabar tacito ſub pectore mecum,
Cur loca ſint profugæ vaſta petita mihi.
Deinde Deum prece feruenti gemibũda rogabam,
Dæmonis vt technæ non mihi damna ferant.
Denique laſciuum perrexi affligere corpus,
Irrita donec erant tela Cupido tua.
Illius aſſultus & tentamenta fuêre
Crebra, ſed euaſi cuncta Tonantis ope.
Iamq́; mihi claro fulgebat ab æthere lumen,
Et menti pax eſt parta quieſq́; meæ.
Panibus abſumptis herba paſcebar agreſti,
Hæc multis annis corporis eſca fuit.
Miraris, qui tot valeam producere in annos
Vitam, nuda artus, & cruciata fame.
Deute. 8. *Non ſacro minus eloquio, quàm pane cibatur,*
Matth. 4. *Et vegetatur eo, qui pietate flagrat.*
Corporis haud vlla eſt, vt quondam, cura fouendi,
Si mihi contingat mente valere, ſat eſt.
Me ſi nunc videas, quam frigus aduſsit & æſtus,
Haud Mariam dicas, ſed magis eſſe feram.
Sæpe quidem brumæ riguerunt frigore membra,
Namque vſu veſtes interiere meæ.
Menſibus æſtiuis eadem ſic reddidit atra
Sirius, vt non ſit pix magis vlla nigra.

Ossa crepant, laxa nam tantum pelle teguntur,
Arida sunt sicco pumice membra magis.
Nil horum me ferre piget mercedis amore,
Quæ stat in arce poli magna, reposta pijs.
Hanc recipit nemo pollutus sordibus vllis, Apoc. 21.
Si non eluerit lacryma tristis eas.
Labe vacat, quisquis cæli fastigia scandit, ”
Mens omnis vitij nescia scandet eò. ”
Plus nimio quondam te dilexisse recordor,
At refrixit amor pristinus ille mihi.
Aut potius nunc est in verum versus amorem,
Qui facit, vt nequeam non bene velle tibi.
Hortariq; iubet, mox vt resipiscere cures,
Dum iusti nondum ferueat ira Dei.
Nam quà cœpisti, non itur ad ætheris arces,
Sed potius Stygijs semita damnat aquis. 1. Ioan. 2.
Luxus & ambitio, nunquamq; expleta cupido,
Illuc si tendas, sunt fugienda tibi.
Ægypti carnes, pepones atque allia linque, Exod. 16.
Et fauces veniens æthere Manna iuuet.
Quæ placuêre prius, ceu noxia cuncta relinque; Rom. 13.
Dum patitur tempus, gaudia quære poli. Galat. 6.
Nam fugitiua volant, quæ carnem gaudia lactant, ”
Æternumq; manens excipit illa dolor. Galat. 5. Rom. 6.
Gaudia sed mentis, quæ gignit viuida virtus,
Temporibus nullis interitura manent.
Ansas præbuimus peccandi hinc inde frequentes,
Securi, quæ pòst præmia danda forent.

Rom. 13. *Nunc ergo mecum pulso expergiscere somno,*
Ne dentur meritis præmia digna tuis.
Exod. 10. *AEgypti fugito remis velisq́; tenebras,*
Ne non perspicias, pendeat vnde salus.
Te, quia sum posthac nunquam visura, Valere,
Et Christum totis viribus opto sequi.
Ex Eremo, Anno 528.

Argumentum XXII. Epistolæ.

Omine se fausto Thracen petijsse virumq́;,
Et quàm Constantis sit studiosa, refert.

CÆSAREA CONSTANTINO.

PErsidis ex regno venit, inuictißime Cæsar,
Hæc scheda, barbarica nō bene scripta manu.
Vt testis memoris gratiq́; animi foret in te
Augustamq́; tuam, mittitur inde tibi.
Christicolûm mores fideiq́; profeßio sanctæ
Cognita sunt, Superûm non sine mente, mihi.
Hæc vbi solerti perpendi dogmata mente,
Mutârunt animum consiliumq́; meum.
Continuò patriosq́; deos & sacra perosa
Mens, mihi Christiadûm relligione flagrat.
Nec requies erat ante mihi, quàm fonte sacrato,
Ne non purgarer crimine, lota fui.
Ergo volutanti tacito sub pectore multa,
Nil factu melius, dum premo multa, subit;

Quàm mutare habitu priuato purpurã & aurum
Et veteris luxus ponere signa mei.
Consilium placuit mihi, quod complere libebat,
Vt res celetur pectore pressa meo.
Ergo bonæ fidei comites mihi deligo paucos,
Ne quâ Rex possit conscius esse, cauens.
Sic Constantini gressum contendere ad vrbem,
Cernereq́ue Odrysij Principis ora libet;
Istic vt docear fidei mysteria sanctæ,
Vtq́ue sacri fontis membra lauarer aquis.
Aspirare pijs cœptis dignatus IESVS
Cernere te dedit, & coniugis ora tuæ.
Atque haurire salutiferi pia dogmata Christi,
Quæ commouerunt cor animumq́ue meum.
Accepistis honorificè nos, atque benignè
Ignotos vobis cura fouere fuit.
Quin & dignata est sacro de fonte leuare
Me coniux, qua nil dignius orbis habet.
Ergo vbi lota fui corpus lustralibus vndis,
Fasce premente prius mens releuata fuit.
Tantosq́ue effectus persensi Flaminis almi,
Vt regni fuerit non mihi cura mei.
Iamq́ue mihi Thrace fuit instar Persidis, & te
Præposui, Christi nomine, læta viro.
Non alibi firmas libuit mihi figere sedes;
In vestro mihi erat mens latitare solo.
At qua mobilius nihil est, mox fama volauit
Correptis alis aulam ad Achæmeniam.

Cæsareamq́, dolens quam Rex periisse putabat,
In laribus Cæsar rettulit esse tuis.
Protinus ergo viri scitatum à coniuge missi,
Ad Thracen properant, Cæsareosq́ lares.
Vt simul ac me reppererint, ad regna reducant
Persica, ad orbati coniuge tecta viri.
Persarum cùm Reginam vidisse negares,
Sed quandam ignotam Perside stirpe satam;
Illico me visam coram agnoscuntq́, coluntq́,
Ordineq́ exponunt Regia iussa mihi.
His ego mandatis, inquam, non gessero morem,
Si non Rex Christi dogmata sancta probet.
Atque adeò renuam nostri consortia lecti,
Quandoquidem nil iam Persica regna moror.
Sin facilis fuerit profiteri verba salutis,
Prompta sequar, quo me Regia iussa vocant.
Hæc postquam fuerant ab iis narrata marito,
Coniugis haud spreuit fœdera iusta suæ.
Constantinopolim multis cum millibus ire
Constituit, sancti Flaminis actus ope.
Nam non, vt repetat multo me milite, venit
In Thracen, vobis bella ciere volens.
Sed monitis parens diuinis, fonte sacrato
Optauit tingi Rex, comitesq́ pii.
Quis dubitet tanti Regis comitumq́ fuisse
Incensos animos Flaminis igne sacri?
Ioan. 6. *Peruenit ad Christum nemo, nisi Patre trahente,*
Fœlix, qui sequitur, quò trahit ille, libens.

Quid

Quid repetam, quot nos meritis cumulaueris om-
Hoſpitibus donans munera cuique ſua? (nes,
Illud erat certè cumulati pignus amoris,
Quòd Regi fueris pro genitore ſacro.
Nam ſuſcepiſti ſacro de fonte leuatum,
Nos hortans ſtabilem corde tenere fidem.
Numinis haud dubiè petij tua mœnia iuſſu,
Et parili motus vir pietate meus. Prou. 5.
Nam quid Achæmenij prodeſt poſſeſsio regni, Sapien. 7.
Si non firma adſit cum pietate fides? Hebr. 11.
Hæc tua dum memori mecum benefacta reuoluo
Pectore, quæ ſemper ſunt reputanda mihi;
Plus anima fateor tibi me debere virumq́;,
Cùm bona ſint quæuis inferiora Fide.
His igitur meritis nequeamus ſoluere grates,
Non ſi cedamus Regia ſceptra tibi.
Quæ te non poſcente, tuas ego dicere laudes
Nullo deſiſtam tempore, virq́; meus.
Si tamen obtingat dubio te Marte laceſsi,
Auxilium Perſas poſce, feremus opem.
Quæ tibi vis fiet, pelletur milite miſſo
Continuò, quantum Perſica regna ſinent.
Semper eris nobis inſtar fratriſq́; patriſq́;,
Quæ bona ſunt nobis, eſſe putato tua.
Te Superi ſeruent in longæ tempora vitæ,
Cumq́; tua Princeps coniuge ſumme Vale.
Suſis, Anno 640.

Argumentum XXIII. Epiſtolæ.

Obſcœnæ queritur vitæ ſeſe eſſe notatam,
Vtq́; probrum frater vindicet omne, rogat.

ALPAIS DODONI.

HAc tibi mitto ſcheda frater dilecte ſalutem,
Vt mihi contingat fratre iuuante ſalus.
Quam niſi tu dederis, reſtat ſpes nulla ſalutis,
Vſque adeò miſeram cura dolorq́; premunt.
Fortè quid acciderit, miraris, quæve ſorori
Sit lamentandi cauſa, vel vnde dolor.
Afficit his ægram Lambertus hypocrita curis,
Dum mihi molitur dedecus atque necem.
Malim namque mori, fieri quàm fabula vulgi,
Quam nunc conſpicuam publica fama canit.
Sed ne ſuſpenſum morer amplius, ordine paucis
Narrabo, Præſul quid ſtruat ille mali.
Increpat ille Ducem mordaci voce Pipinum,
Nullum non lapidem nocte dieq́; mouens;
Scilicet vt pellat me Dux ex ædibus altis,
In ditione locum nec ſinat eſſe mihi.
Me vocat infandumq́; malū, Stygiamq́; Megæram,
Exilio dignam ſupplicioq́; graui.
Hæc ſunt facta quidem, ſed nullo teſte; quod autem
Fecit heri, cura me grauiore premit.

Dux

Dux multos proceres mensæ rogitauit adesse,
Lambertumq́ suæ, se recreare volens.
Cumq́ omnes genium dapibusq́ meroq́ fouerent,
Id poscente loco, temporéque atque Duce;
Illico morosus perturbat hypocrita mensam,
Criminibus terrens meq́ Ducemq́ suis.
Degeneres, omnísque vocans pietatis inanes,
Exprobrat obscæni crimen adulterij.
Damnandos Stygijs pœnis nos clamitat ambos,
Ni vitam in melius mutet vterque suam.
Me vult, ceu scelerum segetem, Dux exigat aula,
Officio fungi si velit ille suo.
Me propter thalami dissolui vincula casti,
Regaíque satam stirpe carere viro.
Sic Duci ille suis dictis exasperat iras,
Omnia sic turbis sanctulus ille quatit.
Erubui, & circum præcordia bilis inarsit,
Et vix abstinui turpia probra loqui.
Sed propter proceres silui, linguamq́ repreßi,
Placandum verbis Principis esse rata.
Mordacem placare canem sermone Pipinus,
Quod potuit, studuit, sed latrat vsque canis.
Cumq́ suum non desineret vomere ille venenum,
In me cum linguæ spicula dira vibrat;
Accubitu surgens, mota mihi bile, receßi,
Alpaiis tantus tinxerat ora rubor.
Denique turbati discessère ordine ad vnum
Omnes inuiuæ; nemo remansit ibi.

Sic breuis interdum vernorum gratia florum
Threycij Boreæ flamine pulsa fugit.
Conuiuam talem vocet ad consortia mensæ,
Qui cute curanda se recreare parat.
Sic compensantur reuerendo à Præsule, quæ dux
Contulit indigno munera multa viro.
Non venit in mentem ingrato, dum sedibus esset
Expulsus, quòd ei reddita mitra fuit.
Reddita per clarum belli virtute Pipinum,
Quem modò pestifero proscidit ore palam.
Non reputat sibi bestia quòd cornuta petatur,
Et quòd Lethiferi sit sibi causa mali.
Impendens igitur nobis perpende periclum,
Et quò res vergat, mente reuolue cauè.
Gallorum Regi charum scis esse Pipinum
Martis enim studijs consilioq́; valet.
Nunc igitur Regis si fortè fefellerit illum
Gratia, ob aspersas extenuata notas
Cum Duce restabit nobis commune pericum,
Et nos destituent gloria, fama, decus.
Nam decus atque salus dependent à Duce nostra,
Si sit is auersus, quid nisi probra manent?
Idcirco nostris amborum consule rebus;
Admittunt nullas nostra pericla moras.
Os effrene viri tibi sit compescere curæ
Quas meruit pœnas pestilitate, luat
Exod.22. *Dediscat Ducibus maledicere stemmate claris,*
Ne vulgò iaceat nobilitatis honor.

Afflictæ

Afflictæ si te miseret germane sororis,
Huc iter institues, nec patiere moras.
Ioppiliæ, Anno 698.

Argumentum XXIIII. Epistolæ.

Insontem queritur thalamo caruisse iugali,
Atque ad coniugij iura redire cupit.

PLEVTRIS PIPINO.

TEmpore qua multo carui, tibi mitto salutem,
Præ quouis hominum chare marite mihi.
Quam mihi debebas, vtinam tam firma stetisset,
Quàm mea firma fides mansit, amorq́ meus.
Quis tibi non cauto præstrinxit lumina dæmon?
Quæ mentem eripuit dira Megæra tibi?
Improba cur plus chara fuit tibi coniuge pellex?
Hæc tibi plus illa cur adamata fuit?
Quid tibi displicuit coniux in coniuge tantùm,
Quæ tibi fida fuit semper, amansq́ tui?
Non pellenda fuit natalibus edita Regum,
Crimine quæ nullo læserat antè virum.
Id lex nulla sinit, prohibent id dogmata Christi, Matth. 5.
Quæ qui contemnit, relligione vacat. Marc. 10.
Sæpe quidem Præsul monuit te criminis huius, Hebr. 13.
Te lectum stupris commaculare dolens.
Qui pius & vigil est Antistes, crimina carpit, "
Quodq́ magis fœdum est, carpit adulterium. "

Nunc blandè, nunc te quoque durius ille monebat,
Consuleres famæ, quæ tibi læsa fuit.
Matt. 19. *Vxoriq; fidem seruares pellice pulsa,*
1. Cor. 7. *Præcipit vt Christi lex, ratioq; tibi.*
Ast auris nullis monitis obstructa patebat,
Vsque adeò vitiat pectora cæcus amor.
Prou. 5. *Dulce malum pellex est, mellitumq; venenum,*
Sed docet euentus, quid struat illa mali.
Occidit ergo manu scelerata præco salutis,
Haud vnquam metuens dicere vera tibi.
Credo scioq; tuo iussu non esse necatum;
Absentem non me res latuêre tuæ.
Dira sed Alpaidis patrata est atque Dodonis
Consilio cædes, prò dolor atque nefas.
Non impunè tamen sanctum fudêre cruorem,
Heu nimis audaces sacrilegæq; manus.
Nam scelus est hoc vlta probè iusta ira Tonantis,
Cædis & autores nunc Phlegetonte cremat.
" *Sic alium qui lædere vult, sibi læditur ipsi,*
" *Supplicijq; grauis causa fit ipse sibi.*
Sap. 3. *Non tamen est læsus diuinæ legis amator,*
Confossus quamuis in sua fata ruit.
Sed nunc æthereа redimitur in arce corona,
Quæ non marcescens, tempus in omne viret.
Baptistæ Christi fuerant sic causa necandi
Math. 14. *Pellicis & Regis furta reprensa priùs.*
Sap. 4. *Ille tamen nunc cum Superis in pace quiescit,*
Illius & viridans tempora laurus habet.

Hos autem pro delicijs ſtuprisq́ nefandis,
Ignis Auernalis debita pœna manet.
Ergo flammiuomo ne non ſis tutus ab Orco,
Polluti toties damna repende tori.
Fama quidem fuerat bellis tibi parta gerendis,
Et tibi apud Regem gratia magna fuit.
Sed decus imminuit temeratus pellice lectus,
Coniuge quæ pulſa plus tibi chara fuit.
Quàm mihi iuſta fuit de coniuge cauſa querendi,
Cùm me deſpecta pellicis eſſet amans!
Sed poſthac Deus afflictæ queſtúsque precésque
Pleutridis in rapidos non ſinet ire notos.
Nam mentem tibi reſtituet ſanámque piámque,
Quóque diu carui, priſtina iura tori.
Diuinis monitis parebis, ſi tibi curæ eſt
Cùm fama pietas, & mihi pacta fides.
Illicitæ Veneri quàm flebilis exitus inſtet, 1. Cor. 6.
Te Paulina queunt ſcripta docere ſatis. 1. Theſ. 4.
Rite fidem ſeruant animantia multa iugalem,
Mens quibus omnis abeſt, quæ ratione carent.
Quò maiore fide ſeruanda iugalia vincla
Sunt homini, quæ lex non violare iubet? Exod. 20. Deut. 5.
Ergo caſta fides poſthac tibi rite coletur,
Si, Stygias ad aquas ne rapiare, times.
„ *Namque fidē thalami quiſquis violauit, inultum*
„ *Auferet haud vnquam crimen adulterij.* Hebr. 13.
„ *Plectit in hac vita temerantem fœdera lecti*
Sæpe Deus damnis, ſupplicióve graui.

Vxorem

Gen. 20. *Vxorem Tharidæ postquam conspexit, amore*
Rex Geraræ flagrans, in sua tecta tulit.
Et quamquam vetitæ Veneris commercia fugit,
Tristibus inuoluit seq́; suosq́; tamen.
Et raptum fato fuit extinguendus ob illum,
Si non flexisset vir pius ille Deum,
Gen. 34. *Et raptus Dinæ Sichemitas perdidit omnes,*
Non fuerit tædæ fœdere vincta licet.
Iudi. 12. 16. *Leuitæ polluta stupro proba coniugis vxor,*
Quanta fuit nunquam, cæde piata fuit.
2.Reg.12. 16. *Haud nescis, Dauid violatæ nomine tædæ*
Quas dederit pœnas, quot tuleritve mala.
Quot peperit pellex Græcis Phrygibusq́; tumultus,
Quam rapuit Sparta per mare classe Paris!
Sanguine cæsorum rubuerunt flumina Troiæ,
Fertiliorq́; fuit sanguine factus ager.
Genes. 2. *Coniugium confirmatum est diuinitus; illud*
Mat.19.1. *Seruari vitæ vult probitate Deus.*
Cor. 7. *Si quid mellis inest furtiuo forsan amori,*
Prou.2.6. *Continuò vitiant fel aloéque comes.*
Nunc igitur resipiscendi dum tempora dantur,
Criminis admissi dilue quæso notam.
Sitq́; salus animæ curæ tibi, denique factum
Curabis, quidquid vir generose decet.
Nulla tibi per me re vera iniuria facta est,
Quodq́; mihi obijcias, nil reor esse mali.
Quæ tamen in me sunt commissa, remitto libēter,
Vt tibi sit clemens, sæpe precata Deum.

Tantùm

Tantùm me reuoca reliquæ ad consortia vitæ,
Atque fides nostri sit sine labe tori.
Redde torum, quo pulsa fui fas præter & æquum,
Te per nostra precor stemmata, redde torum.
Sic tibi quod vitæ reliquum est, feliciter omne
In cultu Superùm transeat, atque Vale.

Argumentum XXV. Epistolæ.

Excitat ad reditum Franciscum, atque ordine pandit,
Instituat vitam qua ratione suam.

CLARA FRANCISCO.

COgor, vt agnoscas, Pater integritate colende,
Gratam discipulam, scribere pauca tibi.
Scribere, nam tantis spacijs diuellimur, vt te
Copia semoto sit mihi nulla frui.
Motus enim magna Syriam pietate petisti,
Haud vitæ metuens vlla pericla tuæ;
Gentibus vt tradas æternæ verba salutis,
Et Christo referas multiplicata lucra.
Pollice conatus tuus est laudandus vtroque,
Sitq́ʒ tibi felix, quod meditare, precor.
Sed metuo (Superi vanum dent esse timorem)
Vt te Sultanus fortè redire sinat.
Nam qui sunt ad Agarenos te autore profecti,
Non te supplicijs occubuisse latet.
Fœlices, qui sunt Christi pro nomine cæsi, Apoc. 14.
Sanguine enim palmam promeruêre suo.

Sed

Sed si iudicio non fallor, discere non est
Ducentem ad superos gens ea digna viam.
Nam quicunque ad eam sunt hac ratione profecti,
Luserunt operam, cœpta inhibente Deo.
Oseæ. 13. *Crimina nimirum propter perspecta Tonanti,*
Prou. 1. *Ob quæ cæcari gens ea digna fuit.*
Nec sanctũ canibus, nec gemmas mittere porcis,
A Christo nobis tradita norma sinit.
Forsan & in patria plus splendida lucra reportes,
Sap. 9. *Quis mentis Domini conscius esse queat?*
Rom. 11. *Vt quæstum faceres vendendis mercibus, æquor*
Antè pererrabas, nulla pericla timens.
Nec nimbis fuerat tibi formidabilis Auster,
Nec qui Parrhasio ventus ab axe venit.
Securus fueras Zephyri, securus & Euri,
Nec nimbosæ Hyades causa timoris erant.
Omnia vincebat lucri insatiata cupido,
Velifera cogens naue secare fretum.
Prou. 3. *At nunc sollicitant te præstantißima lucra,*
Quæ fracta minimè naue perire queant.
Neglectis opibus fluxis, æterna requiris
Nunc bona, quæ tota mente parare studes.
Qui vitrum gemmis commutat, ruderaq; auro,
Quantumuis stolida iudice plebe, sapit.
Teq; amplas ideo haud ægrè monitore reliqui
" *Pauperibus, ne quid me remorentur, opes.*
Matth. 13. *Nam quid opes homini sunt, si non sarcina curis*
Lucæ 8. *Plena, quibus premitur mens, generosa licet?*
Certè

Certè commodiùs nunc viuo & suauiùs, imo
Nunc demum videor fasce leuata mihi.
Exemploq́ tuo legi hinc atque inde puellas,
Corporibus castas, & pietate graues.
Pauperiemq́ colunt mecum, bona fluxa perosæ,
Et quidquid vulgus mentis inane stupet.
Has ego, quod possum, præceptis imbuo ijsdem,
Quæ didicisse prius, te monitore, iuuat.
Insuper exemplis exhortor ad optima quæque,
Vt me sint alacres ad meliora duce.
Friget enim, quamuis fuerit doctrina salubris, »
Si vitæ probitas præuia desit ei. »
Gnauiter ergo sequor te, sed non paßibus æquis,
Inuigilans precibus nocte dieq́ pijs.
Exiguo victu sustento debile corpus,
Et rarum somnum lumina nostra vident.
Plus me delectat terra storeáve cubare,
Differto plumis quàm cubuisse toro.
Denique spiritui corpus ne quando rebellet,
Texta artus, quæ fert terra Cilissa, premunt.
Nec nos sollicitat venturæ cura diei,
Quantulacumque etenim sufficit esca pijs.
Si volucres non sollicitat lux crastina, debet Matth.6.
Veros Christiadas sollicitare minùs.
Sufficit & vestis brumalia frigora pellens, 1.Tim.6.
Quáque satis poßint membra tegenda tegi.
Exiguum est, nostrũ quod corpus postulat, at mens
Vix valeat cura sufficiente coli.

Corpo-

Corporis ornamenta Deus non aſpicit vlla;
Ornatus animi plus videt atque probat.
Porrò tuos ſectatores augeſcere lætor,
Structaq́ cœnobia pluribus eſſe locis.
Matt. 10. *Nec mirum, Chriſti normæ cùm conſona vita*
Marc. 6. *Sit tua, & ex omni parte probata Deo.*
Lucæ 9. *Et niſi fallor ego, toto vulgabitur orbe*
Præ reliquis, quamuis hac viguere tenus.
Quare inſiſte pijs cœptis: præſtabo viciſſim,
Quod potero, vt norma hæc ſit mea clara magis.
Chriſtus vt aſpiret noſtris conatibus ergo,
Inſtemus precibus iugiter, atque Vale.
Aſſiſij, Anno 1220.

Argumentum XXVI. Epiſtolæ.

Triſtibus inuolui fatis ſua pignora mater
Ingemit, & regno tam procul eſſe ſuo.

BLANCHA LVDOVICO.

Mittitur hæc à matre tua, dulciſſime fili,
Littera præ gelido nõ bene ſcripta metu.
Diſtringunt metus atque dolor præcordia noſtra,
Nam nato metuo mille pericla meo.
Eſt mihi iamdudum iuſtiſſima cauſa dolendi,
Quam, quia creſcit adhuc, eſt mihi ferre graue.
Coniuge namque orbata fui florentibus annis,
Orbatæ regni pondere ferre dato.

Quan-

Quãdoquidem vix natus eras ter quattuor annos,
Cùm iam ceßiſſent Regia ſceptra tibi.
Regni igitur cura ſuſcepta, protinus orti
Martis opus fecit me trepidare metu.
Sed belli plus ſpe fœlix fuit exitus eius,
Nam manus hoſtilis Marte ſubacta fuit.
Non minus horrendi mox emerſere tumultus,
Ambobus poterant qui dare magna mala.
His vigili procerum ſtudio curaq; repreßis,
Cum noſtro & regni manſit honore ſalus.
Cætera quid repetam metuenda pericula nobis?
Quorum equidem credo te meminiſſe parum.
Et quamuis tanti me regni cura premebat,
Quantum fœminea vix queat arte regi;
Vt pietate tamen virtutumq; auctibus eſſes
Ornatus, nunquam non mihi cura fuit.
Quæ Regẽ decorant, plus quam diadema vel aurũ,
Quàm gemmæ, quotquot decolor Indus habet.
Nec labor inſumptus periĳt, nec cura fefellit,
Nam pietatis eras iuſtitiæq; tenax.
Quidquid enim vitĳ ſubrepſerat ante, repreßũ eſt,
Et melius ſpe res enituêre tuæ.
Nam cũ vix tranſacta forent tibi luſtra quaterna,
Regni non minimum cœperat eſſe decus.
Deinde mihi morbus, quo tentabâre, doloris
Quanti par fuerat, maxima cauſa fuit.
Vſus enim linguæ, ſpes & ſublata ſalutis

S Turba-

Turbabant summo me populumq́; metu.
Te tamen incolumem pietas immensa Tonantis
Restituit matri, restituitq́; tuis.
Et quia magna manus procerum, pietatis amore,
Sacram ad militiam classe profecta fuit,
Ardor ad illud iter tentandum te quoque cepit,
Et dulces fratres, flauicomasq́; nurus.
Horum te fuerat comitari quisque paratus,
Et tecum forti pectore ferre mala.
Christicolæ fidei reparandi damna cupido,
Gallorum tecum millia multa capit.
Hæc quoque finitimos generoso sanguine cretos
Cepit, vt instaurent sedulò quisque fidem.
Regni cura mihi & fidis mandatur amicis,
Veliferæ capiunt te comitesq́; rates.
AEquoreas citiùs guttas numerauero, quàm quot
Te propter lacrymis sim madefacta genas.
Hei mihi, quàm durum fuerat, quàm triste, carere
Natis, & nuribus non potuisse frui.
Nunquam non me sollicitant tam pignora chara,
Spes leuat hinc animum, deijcit inde metus.
Nam quamuis primùm cesserunt omnia vobis
Prospera, conatus Marte iuuante tuos;
Occubuit tamen (vt retulit mihi fama) Robertus,
Pro Christi pugnans relligione, meus.
Præterea orta lues subuertit parta trophæa,
Et nece multorum est debilitata manus.

Et, si

Et, si sunt, quæ fama canit mihi garrula, vera,
Quæ modo blanda fuit sors, inimica tibi est.
Nec tamen esse puto fas omnia credere vera,
Quæ volitans ad me per mare fama tulit.
Cum Carolo Alphonsoq́; meis nãque audio captum
Gallorum Regem ferrea vincla pati.
Id Superi vanum esse velint; cultoribus adsint
Sinceræ fidei; vincula ferre vetent.
Et, si in deterius tibi versa est alea Martis,
In melius vertant, quæ cecidère malè.
Hæc quia scire mea refert, mihi littera pandat,
Quo fortuna loco sit tua, resq́; tuæ;
Vt missis nũmis, cum fratre vtroque redemptum
Mox regem videat Gallica terra suum.
Exoriuntur enim magni te absente tumultus,
Improbus attollit cornua quisque sua.
Regis in officio præsentia continet omnes, ”
Illo absente ruit vulgus in omne malum. ”
Solis vt exortu pelluntur nubila cælo,
Quæ poterant nautis grandia damna dare;
Sic fugiet scelerata cohors formidine turpi,
Te gelidum pauidis incutiente metum.
Vtq́; mihi mens præsagit, mea fata propinquant,
Nec matri forsan conspiciēre tuæ.
Ergo pia nostri cura si tangeris, atque
Regni orantis opem præsidiumq́; tuum:
Institues iter ad matrem patriosq́; penates,

 Et pel-

Et pelles regno magna pericla tuo.
Forsitan in regno damni plus accipis absens,
Quàm fructus referes è regione truci.
Vt curis nos ergo leues, contende reuerti
Et velis & equis, intereáque Vale.
Lutetiæ, Anno 1240.

Argumentum XXVII. Epistolæ.

Enumerat varios casus, Scythicoq; grauari
Seruitio queritur, liberaq; esse rogat.

GRÆCIA CHRISTO.

PErfusa est meritò lacrymis, Rex maxime Christe,
Littera, quam mitto Græcia nota tibi.
Nota magis quōdam, tua cùm præcepta sequebar,
Te pura solum relligione colens
Me miseram, quò me rapuit dementia, luxus,
Degeneres mores, impietasq́; mea!
Quæ quondam fueram studijs clarißima belli,
Imbellis nunc sum, seruitioq; premor.
Diues eram spolijs, & claris fœta triumphis,
Finitimis populis tunc metuenda fui.
Arma nec vna mihi fuerant Mauortia curæ,
Nec belli placuit gloria sola mihi.
Excolui Sophiæ studium præ gentibus vna,
Quas sol exoriens aspicit, atque cadens.

Hoc

Hoc ſtudio celebres nemo numerârit alumnos,
Orbe per hos longo tempore clara fui.
Quorũ nunc quoque non pauci mirantur acumen,
Nam vix poſteritas, quæ docuêre, capit.
Omnia ſcrutati ſunt, terram, ſidera, pontum,
Quæq; ſinu gignunt hæc tria fœta ſuo.
Quin & virtutes vitijs diſcernere tradunt,
Et quæ ſit vitæ norma tenenda, docent.
Conuenêre ad me cunctis ex partibus orbis,
Romulides, Gallus, Phryx, Scytha, Perſa, Libys.
Omnibus ex æquo patuerunt ſemper Athenæ,
Nullos non cultos reſtituêre ſuis.
Quid memorem legum latores? dogmata per quos
Sunt inuenta, quibus regna vigere queant.
Per quæ nunc floret, debet mihi natio quæuis,
Cum Perſis Libyes, Auſonijq; viri.
His ſtudijs olim vigui per ſæcula multa,
His longè & latè nobilitata fui.
Sed tunc falſorum diuorum errore tenebar, Actor. 17.
Neſcia, ſidereo quis ſit in orbe Deus:
Donec legatis Syria venientibus ad me,
Errores cœpi docta videre meos.
Tunc oculis veluti dempta caligine cœpi
Cernere, quæ vero ſint ſacra grata Deo.
Atque repurgatis fanis tibi dicere laudes,
Próque Sophis Pauli voluere ſcripta tui.
Tunc Euangelij præcepta capeſſere iuuit,

Atque in te solidam figere Christe fidem.
Bullatas nugas phalerasq; audire pigebat,
Et fastidiui, quæ placuere prius.
Rhetorices audire rudes humilesq; iuuabat,
Et veræ Sophiæ discere scita magis.
Hæc alta mecum versabam mente reposta;
Tanta salutiferis gratia rebus inest.
Tunc pura æternum venerabar mente Parentem,
Et te cum sancto flamine Christe Deus.
Atque vtinam stabilis, constans, ac firma fuissem
His in dogmatibus saluificaq; fide.
Heu leuitas me corrupit, dissensioq; ingens,
Et non Pontifici scisma subesse volens.
Matth. 7. *Dehinc me velleribus rabies adoperta luporum*
2. Cor. 11. *Fælici studuit præcipitare gradu.*
Galat. 1. *Hæc ad luctificam me pertraxêre ruinam,*
Et miseram infandis implicuêre malis.
Hæc Scythico me seruitio fecêre subesse,
His causis madui sæpe cruore meo.
Quæ longo fueram luxu eneruata, mihiq;
Dissensi, potui vel sine Marte capi.
Iamq; fide cassam, quæ me ducebat Olympo,
Et cæcam vitijs impius error habet.
Nunc sum mācipium, quondā spectata triumphis,
Heu nunc seruitio subdita colla premor.
Ingeminant curæq; catenatiq; labores,
Et respirandi copia nulla datur.

Ingenuas

Ingenuas artes permittor diſcere nullas,
Ingenuum nil me ſcire ſinente Scytha.
Mancipor aut bello, aut ſeruilibus artibus vnis,
Cultores cogor lædere Marte tuos.
Orbis delicium quæ quondam iure vocabar,
Nunc ſum propudium, fabula, ſanna, probrum.
Ex imo duco ſuſpiria pectore ſæpe,
Et querulus clamor ſidera celſa petit.
Nec veteris libertatis ſpes vlla relicta eſt,
Tu niſi ſuccurras, eripiasq́; iugo.
Ad te igitur ſupplex, à quo malè ſana profugi,
Confugio, tendens aurea ad aſtra manus.
Me poſtliminij iuſto, precor, aſſere iure,
Reſtituar domino perdita ſerua meo.
Ne fixis oculis ante actæ diſcute vitæ Pſal. 142.
Crimina, néve vngui priſtina facta notes.
Quæ patior, meruiſſe ſcio, iuſtisq́; flagellis
Confiteor cædi: me mea culpa premit.
Sed quia iuſtitiæ ſuperas pietate rigorem, Pſal. 144.
Dißimula vitæ crimina fœda meæ.
Te quoties olim Tharidæ de ſtirpe creati 4. Reg. 17. 24. & 25.
Offendêre, graui paſſus es hoſte premi.
Mox tamen eduxti, victus pietate paterna, 2.Mac. 6. 1. Eſd. 1.
Hoſtibus ereptos, in genitale ſolum. 2.Par.36.
Qui grates cecinêre tibi & pia cantica laudum, Exod. 15. Iud. 5.
Et parêre tibi quiſque paratus erat. Pſal. 125.
Me quoque luminibus placidis nūc reſpice tādem, Iudith 15.

Esaiæ 42. *Vt ſoluas Scythico ſubdita colla iugo.*
Matth. 12. *Quaſſatum calamum noli confringere, quodq́ue*
Fumat adhuc linum, fumiget, imò flagret.
Marte potẽs veniat quiſquam, qui vincula ſoluat,
Vt te ſeruitij libera rite colam.
Præcones veniant, longo ex errore reductam
Qui doceant fidei dogmata ſancta tuæ.
Lucæ 15. *Quam plus ſex luſtris quæſiuiſti optime Paſtor,*
Saxa per & vepres, te miſereſcat ouis.
Reſtitui caulis, vnde errabunda profugit,
Abſque tua cura quod nequit illa, rogat.
Me vigilem reddent mala, quæ ſum plurima paſſa,
Docta malis nitar firmior eſſe pede.
Teq́ue colam tanto feruentius, & ſequar vnum,
Cui ſit laus, Patri, Spirituiq́ue ſacro.

Argumentum XXVIII. Epiſtolæ.

Quot ſit preſſa malis, multò dum cingitur hoſte,
Commemorat, multis fletibus ora madens.

ECCLESIA MILITANS ECCLESIÆ TRIVMPHANTI.

EX tellure, malis vbi multis opprimor exul,
Ad te miſſa venit littera, chara ſoror.
Quot mala me cingant, ſat es olim docta ſuperq́ue,
In terris eadem cùm paterêre mala.

Et quia

Et quia plorando releuantur pectora curis,
Quo crucior, cogit ſcribere pauca, dolor.
Multi, nulla quibus pietatis cura, laceſſunt
Vndique me, technis ſupplicijq́ minis.
Scilicet vt Chriſtũ ſponſum dominumq́ relinquã,
Qui fons eſt vitæ præſidiumq́ meæ.
Et ſacra dæmonibus faciendo, pendeam ab illis,
Qui norunt homini non niſi damna dare.
Huc nullis adigar pœnis, non enſe, nec igni, Rom. 8.
Diſcerptura licet me fera ſæua foret.
Hoc prohibent Spes atque Fides, Dilectioq́ ardens,
His nixam terrent me mala nulla tribus.
Hoſtibus aſſultus multos patiebar ab illis,
Idolis cladem cùm paritura forem.
Cùm vix hæc ſedata forent mala, iamq́ quietis
Spes affulſiſſet lætitiæq́ mihi;
Exortæ ſectæ non damna minora dedêre,
Falſis doctrinis, ſacrilegiſq́ dolis.
Vt taceam hæreticos alios, ſeductor Arius
Hei mihi quot turbas vnus in orbe dedit!
Nec poſt hunc leuiora dedit Mahumetus in omni
Climate terrarum fraude minisq́ mala.
Eheu quot Scythicis victæ ſunt arcubus vrbes,
Saluificam quondam quæ coluêre fidem.
Prò dolor, haud vrbes tãtùm, ſed & inclyta regna,
Quorum Turca ferox colla ſubacta premit.
Heu quantam Libyes dedit ille Aſiæq́ ruinam!

Europæ per eum pars quoque magna perit.
Relligio Christi totum vulgata per orbem,
Arctatur, spacijs non benè tuta suis.
Christiadûm vanos pars tanta secuta magistros
Oseæ 13. *Palpitat in tenebris immoriturq́ suis.*
Id meruêre procul dubio peccata nefanda,
Flagitio comes est vltio certa Dei.
Hinc fit, vti totum fueram quæ clara per orbem,
Quottidie generans pignora multa Deo:
Effœta nunc instar anus vix finibus orbis
Deliteam, tacitis conspicienda notis.
Hinc fit, vt incedam faciem suffusa rubore,
2. Cor.6. *Membraq́ lugubri veste adoperta traham.*
Mens tamen est hilaris promissis freta Tonantis;
Spes ab eo pendet, non aliunde mihi.
Rom. 11. *Eius iudicium cùm sit scrutabile nulli,*
Quidquid ei placuit, pollice vtroque probo.
Et quasi iacturis paucis affecta fuissem,
Accessere alij, plus scelerata cohors.
Hi, quidquid restabat adhuc saníve pijve,
Coniunctis operis tollere quisque student.
His veteres sectas damnatas atque sepultas,
Ex Stigijs antris est reuocare labor.
Fastus eos nullis subiectos legibus esse,
Sint licet insignes vtilitate, sinit.
Europæ per eos clades est maxima facta,
His, vt pessum abeant omnia, cura fuit.

Quot

Quot vidi per eos ædes ſubſidere ſacras!
Atque rapi, quod erat vel tetigiſſe nefas!
Veſtales nymphas auſi ſunt lædere ſtupro,
Atque pios Monachos pellere ſede ſua.
Nullum flagitium veriti ſunt quiſque patrare;
Dixiſſes Stygio proſilijſſe ſpecu.
Horum dux fuit inceſtus Lutherus, in omne
Flagitium pronus, plus leuis atque notus.
Conſuetudo malo fuit huic cum dæmone crebra;
Hinc odium in Miſſam Pontificemq́ fuit.
Huius diſcipuli mihi coniuraſſe videntur
Vnanimes in me, perdere poſſe rati.
Sed ludunt operam; ſe perdunt namque, volentes
Sacrilegi matrem perdere clade ſuam.
Stat Chriſti fixum verbum, immotumq́ manebit, Matt. 16.
In me Tartareum dæmona poſſe nihil.
Qui Paulo lacrymas olim excuſſere profani Philip. 3.
Ventricolæ, mihi item fletibus ora rigant. Pſal. 118.
Nam ſolo titulo Chriſtum profitentur IESVM,
At carnem luxu delicijsq́ fouent.
Scripturæ ſanctæ monitisq́ minisq́ mouentur
Haud vllis; gaudent ſorde lutoq́ ſues.
Non dubitant proprijs poſtponere gaudia cæli,
Et Stygias pœnas ſomnia vana putant.
Degeneres natos monitis queo flectere nullis,
Carnis vti luxum ſobrietate doment.
Se iactant fidei, quam Chriſtus tradidit ipſe,

Eſſe

Esse professores, Christicolásque pios.
Sed vitæ studium si perpendatur eorum,
Christigena dignæ nil pietatis habent.
Haud ignota licet tibi sint, quæ scribo queróṙque,
Pectore clausa tamen scribere cura iubet.
1. Pet. 5. *Quid de carne tibi scribam, quid Dæmone, quos te*
Galat. 5. *Hostes perpetuos non latet esse mihi?*
His colluctari cogor, dum versor in huius
Militiæ castris, succubuisse cauens.
Quæ dixi mala, cūcta foret mihi ferre molestum,
Si sanctum Flamen non mihi ferret opem.
Sed maneo constans, eius solamine fulta;
Eius præsidio tot mala ferre iuuat,
2.Tim.2. *Vt tandem mihi contingat promissa corona,*
Quæ non, si desit præuia pugna, datur.
Psal. 54. *Quis det, vt ærumnis vitæ huius libera, tendam*
Ad patrias sedes, sidereásque domos?
Quādo erit, vt tecum fruar his, secura malorum?
Pax vbi fine carens, gloria, firma quies.
Psal. 41. *Non sic cerua, canum quam vis agitauit, anhela*
Ad gelidas properat, quò releuetur, aquas:
Vt tecum votis mea mens expostulat esse,
Carmináque ex imo promere corde Deo.
Lætitia quanta locus ille exuberat, in quo
AEthereum Regem cernere cuique datur!
Esaię 49. *Non teneros artus tibi frigus & æstus adurent,*
Apoc. 7. *Nulla fames fauces aut sitis ægra tuas.*
21.

Non

Non te ſollicitant nunc curæ, ſpésve dolórve,
Fatorum nunc es libera facta metu.
Expoſci votis quod poßit, ſuppetit omne,
Quod curas animo gignere poßit, abeſt.
Ter fœlix germana, frui cui pace perenni,
Angelicísque choris, cœlica in arce datur.
Delitijs frueris, quantas expromere lingua Eſaię 64.
Nulla queat, nec mens concipere vlla poteſt. 1. Cor. 2.
Percipio tenui guſtu nunc gaudia tanta,
Vnde ſubit vehemens pectora noſtra dolor.
Interrumpit enim fœlicia gaudia mentis
Hinc rabidus dæmon, hinc maleſuada caro.
Nam ſolidæ quid letitiæ contingere poßit,
Cùm moueant hoſtes prælia mille mihi?
Semper in his caſtris me peruigilare neceſſe eſt, Iob 7.
Infractámque malis ſcandere mente polos;
Euocet hinc donec cingendam tempora lauro,
Rex, cœlum & terram qui ditione tenet.
Guauiter vt currens capiam poſt fata brauium,
Commenda precibus méque meósque Deo.
Ex OEcumene, Anno 1566.

Argumentum XXIX. Epiſtolæ.

Cælicolum Regem dum crimine mœſta fatetur
Offendiſſe, pius ſit, facilisq́, rogat.

PECCATRIX ANIMA CHRISTO.

Scripta

SCripta venit trepide, quæ littera mittitur ad
Christe perenne decus confugiúmq; meũ. (te,
Me pudet affari Regem terræq; polique,
Omnia qui nutu condidit atque regit.
Gen. 1. Qui similem sibi me fecit, cæliq; capacem,
Cui, quod adhuc spiro, debeo, quodq; queo.
Qui varijs quoque dotauit me sensibus vnam,
Præ reliquis, quæ sunt condita cunque sibi.
Psal. 102. Dæmonis assertam imperio, qui Flaminis almi
Dotibus haud cessat me redimire nouis.
Hæc esset mihi scribendi iustissima causa,
Vt grates, quantas mens mea possit, agat.
Sed mihi cùm subeunt vitæ delicta prioris,
Tingens ora rubor mittere scripta vetat.
Nam varijs scelerum formis Dominũq; Deumq;
Offendi, metuens nulla pericla mihi.
Sum sectata, caro quò me lasciua vocabat;
Illecebris carnis subdita sæpe fui.
Sæpe quoque in nassam pellexit dæmonis astus,
Dum vanis miseram ludit imaginibus.
Quæ stolidum vulgus miratur, & ipsa probaui,
His toto studui pectore stulta frui.
Lucæ 15. Sum male cauta bidens dumeta per aspera palans,
Quam tibi sex lustris quærere cura fuit.
Quod nisi me miserans ad pascua læta reductam
Curasses, fueram dente voranda lupi.
Perdita drachma fui, multo quæsita labore,

Quæ

Quæ post lætitiæ causa, reperta fui.
Ficus & illa ego luxurians sum fronde virenti, Matt. 21.
Fructibus at nullis conspicienda fui.
Arida facta forem, sterilem execrantis ob iras,
Si non parsisses pro pietate tua.
Magna mihi fuerat substantia credita per te; Lucæ 15.
Vt sata regali stemmate, culta fui.
Sed bona decoxi, fuerant quæ tradita, cuncta;
Et malè sum crebrò dotibus vsa tuis.
Quæ Caro, quæ Mundus, sectabar gaudia demens;
Colluuies vulgi semper amica fuit.
At tandem, cogente fame, resipiscere cœpi,
Ad patriosq́; lares accelerare gradum.
Supplicis exaudire preces mora non erat in te,
Redditaq́; ornatus sunt monimenta mei.
Errores veteres non exprobrare libebat,
Me sanam ad mentem sat rediisse fuit.
Lapsam in flagitium manibus me tollis amicis,
Mater vt infantem sedula tollit humo.
Crimine pollutam mundant me mystica dona,
Et sanas medica vulnera facta manu. Lucæ 10.
Cæcatam vitiis perfundis lumine dio,
Vt videam te, qui lúxque decúsque meum es.
Ad virtutis iter reuocas, cùm lumine cassam
Ad mortis barathrum deuius error agit.
Nunc cohibere minis, nunc castigare nocentem,
Mox & solando me releuare soles.

Extimæ-

Extimulas monitis, promißis allicis ad te,
Vt pupillam oculi protegis atque foues.
Psalm. 17. *Vt pullos gallina suos nutrítque fouétque,*
Matt. 23. *Sic nunquam mihi non officiosus ades.*
Hæc extollenda est bonitas tua laude perenni,
Nec meritis possum dicere digna satis.
Et quoniam vitio naturæ sæpe relabor
In delicta, tui non cohibente metu;
Offensæ ne quæso meæ reminiscere vindex,
Psalm. 6. *In ventos abeant crimina Christe mea.*
50. 78. *Sordibus expurger mentem, vt te cernere poßim,*
Psal. 30. *Qui mentis lux es, iustitiæq; iubar.*
Instaura, quidquid vitiatum est tempore longo,
Et sint firma, gradu quæ cecidere suo.
Fœlices animæ, quæ terræ linquere sordes,
AEthereósque polos scandere mente queunt.
Et tenui gustu nunc delibare, quod olim
Siderea nectar semper in arce bibent.
1. Cor. 15. *Si bene spectetur, mors est hæc vita vocanda,*
Apoc. 21. *Non viuit, quem non cælica vita beat.*
Nil ibi, quod lædat, vel quod sit causa doloris,
Puræ delitiæ sunt ibi, & omne bonum.
Hic quæcunque iuuant, pariunt fastidia tandem;
Nausea Cælicolis nulla venire potest.
Psal. 16. *Tanta ibi, quæ satiant mentes, est copia rerum,*
33. *Cælitibus res est tanta videre Deum.*
Quando erit, vt patrijs ego reddar sedibus exul?

Namque

Namque est exilium flebile, vita mea.
Qua ratione putas consultum, pertrahar illuc,
Regnaq́ contingant sanguine parta tuo.
Vt te cum Superis, post huius tempora vitæ,
Laudibus extollam, cui decus omne manet.
Se tibi submittant, Dominumq́ Deumq́ fatentes, Philip. 2.
Quotquot Cælicolæ regna beata tenent.
Quotquot & in terris Phœbea luce fruuntur,
Quiq́ infœlices infera regna colunt.

Argumentum XXX. Epistolæ.

Corrupti in terris consortia corporis optat,
Chari, seruitio presserit antè licet.

ANIMA CORPORI.

AD modicũ tempus dulce expergiscere Corpus,
Dum cupio scriptis dicere pauca tibi.
Te sopor altus habet: nullis clamoribus ergo,
Non poteris stimulis euigilare meis?
Non Animæ agnoscis te compellantis amanter
Consuetos, Corpus, blandiloquosq́ sonos?
Cùm maneat te longa quies, agè mitte soporem,
Vt mea dispulso scripta sopore legas.
Attollísne caput? bene habet. nunc accipe paucis,
Absens absenti quæ tibi dicta velim.
Visa tibi crebrò duris sum legibus vti,
Cùm premerem tristi nil miserata iugo. 1. Cor. 9.
Nam dominæ te more mihi seruire coëgi, Galat. 5.

Blanditijs nolens cedere flexa tuis.
Ocia cùm velles agitando ducere tempus,
Lassares volui membra labore graui.
1.Thes.4. *Cùm cuperes curare cutem dapibusq́; meroq́;,*
Non sum passa, iubens ferre famem atque sitim.
Nec positis curis placido indulgere sopori,
Mollibus aut stratis te recubare tuli.
Nam metui, ne quando ferox luxuq́; proteruum,
Excuteres nostro colla superba iugo.
Neu te proriperes, quo ferret cunque libido,
Nulla Dei metuens iussa minásve tui.
Haud secus ac sonipes, larga qui pastus auena,
Non fert frena, ferit calce, nequitq́; regi.
Nam fueras properaturum per saxa, per ignes,
Per rupes, salebras, tesqua per atque vepres.
Rom.6.8. *Sic igitur tecum æternùm peritura fuissem,*
Ephes. 5. *Et pariter flammis excrucianda Stygis.*
Id tacitè metuens in vita mente sagaci,
Pugnaui studijs, sicuti dura, tuis.
Non alia causa mihi te cohibere lupatis,
Curáque in officio continuisse fuit.
Ergo meis postquam cœpisti cedere dictis,
Seruitioq́; libens subdere colla meo;
Plus solito te dilexi, redamare vicissim
Me quoque cœpisti, plus sapuisse videns.
A rectore salus vigilanti pendet equorum,
Hos licet interdum durius ille regat.

Ambo-

Ambobus sic me dum consuluisse videres,
Te, quocunque voco, protinus ire iuuat.
Seruitio Superûm, (nullo lassante labore)
Purgatum vitijs, inuigilare libet.
Nec tormenta reformidas pro nomine Christi 2.Tim.4.
Vlla pati, reputans serta reposta tibi. 2.Tim.2.
Nam corrumpendum fati cùm legibus esses,
Dixisti, Christi præstat amore mori.
Te puro in vita dilexi semper amore,
Cùm faceres, pietas quæ faciunda monet.
Cuius cùm monitis aduersarêre, trahebam
Protinus à cœptis, ad meliora vocans.
Vxorem vir nullus amat feruentiùs, atque
Te modò dilexi, cùm tibi iuncta forem.
Huius vti vigeat maior prudentia, par est,
Et videat, quidquid non videt illa, decet.
Certè verus amor, non quod non expedit, vnquam "
Quæritat, aut quod se dedecuisse queat. "
Inuitam cùm mors igitur diuelleret abs te,
Vis fuerat corpus deseruisse meum.
Corpus enim carcer non rectè dicitur esse, 1.Cor.6.
Sed domus est Animæ, post decoranda magis. Matth.13.
Spes tamen est ægram me consolata, relicto 1.Cor.11.
Tempora iungendam post aliquanta tibi:
Nullis esse malis turbandam casibus, antè
Mille opus in vita quos tolerare fuit.
Magna quidẽ mihi parta quies & gaudia, quãta Esaię 64.

1.Cor.2. *Nulla diserta satis dicere lingua queat.*
Non tamen hæc explent animum, dum copia desit
Corporis: hoc vnum tam diu abesse queror.
Quando tempus erit, cùm coniungemur in vnum?
Quando delicias copula nostra dabit?
Nullo delicias habituras tempore finem,
Quæ nos æthereæ semper in arce manent.
Quando erit, vt Christi diuinos cernere vultus
Ambobus liceat, Cælicolûmq́ue choros?
Hoc certè tempus (nisi fallor mente) propinquat,
1.Thes.5. *Forsitan & properat, quam rear ipsa, magis.*
1.Cor.15. *Interea cæcis terræ requiesce latebris,*
1.Thes.4. *Dum tuba cælestis te vocet, atque Vale.*

His Poëticis exercitijs, nihil ineſt quod fidei aut bonis moribus quicquam diſpendij adferat: quin potius eadem promouent.

Nam stylus est facilis, Latioq́ue nitore politus,
Lectoremq́ue pijs moribus esse docet.

I. Molanus Apostolicus & Regius librorum censor. 73. 10. Sextilis.

INDEX

INDEX EPISTOLARVM.

PRIMVS LIBER.

SECVNDVS LIBER.

TERTIVS LIBER.

112. Thaïs

FINIS.

ERRATA.

Pag. 4. *b. lin.* 5. *leg.* οὐχ. Pag. 7. *a. lin.* 2. *iussos.* Pag. 9. *a. lin.* 10. *secla.* Pag. 11. *b. lin.* 23. *minimam laudem.* Pag. 12. *b. lin.* 8. *lætatur.* Pag. 14. *b. li.* 26. *dissimiles.* Pag. 19. *b. lin.* 27. Prosocer *hinc satus est.* Pag. 23. *b. lin.* 19. *Est opibus.* Pag. 31. *b. lin.* 22. *angebat.* Pag. 49. *a. lin.* 28. *sana* Deum. Pag. 53. *b. lin.* 14. *Nazares.* Pag. 73. *b. lin.* 1. TABITHA.

Excudebat Louanij, Iacobus Heybergius Typog. Iurat. 1574.


PAX·OSCVLATE
IVSTITIA·ET·
SVNT·PSAL·84